DISPUTATIO INAUGURALIS

De

GRATIA,

Quam

PRÆSIDE DEO

ET

AUTHORITATE

NOBILISSIMAE AC AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN CELEBERRIMA ARGENTORATENSI UNIVERSITATE,

Pro consequendis summis in jure honoribus ac privilegiis.

Publicæ disquisitioni ac examini subjicit

HEINRICH RUDOLPH REDERER,
OSNABR. WESTPH.

Die 6. *Januar.* 1655.

ARGENTORATI

Typis JOSIÆ STÆDELII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. LV.

BONO DEO!

DE

GRATIA.

THES. I.

GRATIA à grato deducta, apud latinæ linguæ scriptores & JCtos homonymice legitur: Ita ut interdum CAUSAM alicujus rei denotet. *Suet. in Neron c.* 37. & in *Tit. Vesp. c. 5. l. 5. C. de vect. & comm.* § 1. & *seqq. Inst. mand. l. 6. ff. eod. l. 10. ff. de dol mal. l. 239. § 5. de V. S. l. fin. C. de munic. & orig. lib. 10. l. 2. 3. C. de quad. præscript.* REMUNERATIONEM accepti beneficii, *Senec. de benef. 4. c. 30. Tacit. 1. Ann. 42. & 14. Ann. 53. l. 1. pr. C. de off. Præf. Prat. Afr. l. 10. C. de nat. lib.* Unde Gentiles tres commenti sunt Deas, quas Gratias vocârunt, quoniam in dando, accipiendo, & reddendo, consistere omne beneficium senserunt *Sen. d. l. l. 1. c. 3.* FAVOREM verum, vel simulatum, *Tac. 1. A. 10. & 6. Ann. 26. l. 7. § 8. ff. de min. l. 3. C. de Iure fisc. pr: Inst. de Except l. un. § fin. C. de Rei ux. act. l. 20 C. de fid. instr. l. 29. C. de appell. l. fin. C. de bon. auth. Iud. poss. Nov. 24. c. 2. in fin. l. 79. ff. de Iud.* RELAXATIONEM alicuius juris Germ. eine Gnade/Begnadigunge/vergünstigunge/nachlassunge milig. uñ Barmhertzigkeit. *R. I. de Ann. 1526.* §. und wiewohl & §. es sol sich auch *Tacit. 1. A. 25. l. 1. C. de immun. nem. conc. l. fin. pr. ff. ad Mun. l. 6. 32. 41 ff. d. l. I. l. 1. § fin. ff. de quæst. l. 12. C. de Transact l. 3. C. de Gen. abol. Suet. in Domit. c. 14 A. B. c. 1 § 1. & § in sũgimꝰ.* Hæc postrema significatio, genuinã disputationis rubricã designat, cuius enucleatio ideo fuit præmittẽda, quoniã instituti mei scopũ declarat, *arg. l. 11. ff. de J. & J. l. 1. ff. de R. C. l. 13. § 1 de Reb. dub.* Hujus vocis Synonyma varia sunt: dicitur enim BENIGNITAS, Nov. 163. *in præf l. 21 ff. de LL. l. 11. C. de sent. pass.* INDULGENTIA, *l. 4. 7. 10. 12. C. d. t. can. didici. 1. q. 7. l. 1. de testam. mil.*

Nov 139.*c*.1.*Nov*.147.*c*.2. CLEMENTIA, *l*.23.*pr*.§. 6. C. *de nupt*. *l*. 1.2.*in fin*.*l*.3. C.*de his qui ven.at*.*Nov*.53 *c*.6.*c*.*exigunt* 1. *q*. 7. MUNIFICENTIA & LARGITAS *l*.1 2.C.*de quadr.præscript*. HUMANITAS *arg*. *l*. 6.§.3.*ff*. *de his qui not.infam*.*l* 3 C.*de Episc.aud*.*l*.*ult*. C. *de donat*. *inr*. *vir*. & *ux*. RELAXATIO, *Nov*.141.*in fin*.*can*.6.*c*.1.*q*. 7. BENEFICIUM, *l*.2 C. *de his qui ven.at*.*l*.3.*ff*.*de Const*. *Princ*. *l*.68. 69. *de R*. *l*. *l*.4. C.*de Emanc.liber*. BENEVOLENTIA & MODERATIO *l*.23.C. *de Nupt*. LENITAS *l*.5.§.1. C.*ad L.Iul.Mai*. VENIA.*d* *l*.5.§.2.& 7.*Rubr*.& *t*.*t*. C. *de his qui ven*. *at*. *l*. 6.§.3.*ff*.*de his qui not.inf*. DISPENSATIO, *c*.*dispensationes*.*c*. *didici*.1. *q*.7. AUXILIUM, *l*.2.C.*de his qui ven*. *at*. FAVOR, *l*.16. *ad SCT*. *Silan*. REMISSIO, *c*.*donatum* 1.*q*.7.*l*.1.*ult*.& *t*.*t*.C *de remiss.pign*.*l*. *un*. *ff*. *de Remiss*. Expositâ voce, ad materiei expositionem progrediendum est, quam à descriptione exordiar, *arg*.*l*.1 *pr*.*l*.1.§.1.2.*ff*. *de pact*.

2. GRATIA EST JURIS ACQUISITI, CONSTITUTI, AC VIOLATI REMISSIO. *Genus* est *Remissio*, quæ hic non denotat retromissionem, ut in *l*.9.*ff*.*de off*. *Præf*. *l*. *fin*.*ff*.*comm*. *præd.tam rust.q. urb*. *l*. 137. §. 2.*ff*. *de V.O*. *l*.*ult*.*ff* *de Off.Præf.vig*. *l*. 7. §. 1. *ff*. *qui sat*. *cog*. *Senec*.2.*de benef*.32. Nec in Judicium deductionem, ut in *l*. 11. *ff*. *ad L.Cornel.de fals*. Nec concessionem, ut in *l*. 8. §. 3. *de bon*. *lib*.*l*.15.*de don.m.c. aus*. Sed Juris alicuius relaxationem & mitigationem, *l*.38. §.8.*ff*.*ad L Jul.de Adult*.*Nov*.139.*c*.1.*l*.15.§ 3.4. & *seq*.*ff*.*c*.3.*x*.*locati*.*l*.5.§.2. *de jur.immun*.*l*.*un*.*ff* *de Remiss* *l*.4.§.1. *de incend*. *ruin*.*nauf*.*l*.11. *ad SCT*. *Vellei*.*l*.77.§.3.*de cond*.& *dem*.*l*.8.C.*de* J.J. *l*. 5. §. 2. *ad L*. *Jul*. *de vi publ*. *l*.3.§ 2.*de Stellion*.*l*.*ult* C.*de his qui sibi ascrib*.*l*.16. C. *de pact*. *l*. 12. C.*de transact* & ita remissio speciem aliquam donationis continet, *l*. 12.*ff* *de novat*.*l*.22.C. *de pact*.*l* 1. *ff*.*de transact*. *Differentiam specificam* reliqua descriptionis verba denotant, utpote quæ circa Jus qualificatum versantur. Cum autem vox Juris sit ambigua, & facilè dubium legenti movere possit, ab æquivocatione etiam liberanda est Non enim hic significat Artem Juris, *l*. 1 *ff*. *de* J.& J. nec locum in quo Jus dicitur. *l*.*pen*.*ff*.*de* J.& J.*l*.*ult* *ff*. *de cess.bon*. *Rub*. & *l*. 1. 2.4.*ff*.*de in jus voc*. nec propinquitatem sanguinis. *l*. *fin* *ff*. *de* J. & J.*l*. 223 § 1.*de V.S*.§ *fin* *Inst*.*de cap dim*. nec Jus redditum, justum sive injustum sit. *l*.*pen*.*ff*.*de* J. & J. *Rubr*. & *l*. 1.*ff*. *quod quisq. Jur*. Sed ea demum significatio in hâc materiâ huic voci conveniens est, quæ Dominium aliquod designat, aut quasi. *Rubr* & § 2. *Inst*.& *l*. 2.*ff*.*de his qui sunt sui vel alien*.§.1.*Inst*.*de usufr*.§.1.*de usu* & *hab*. *l*. 10.*ff*. *de* J.& J. *pr*.

J. *pr. Inst. eod.* & summatim, actionem in rem, vel personam ex quovis dominio vel obligatione provenientem. pr. *Inst. de act. l. un. de prec. l. un.* §. 4. *f. 10. de Rei ux. act. l. 59. 62. de R. J.* Hujus vocis adjectæ qualitates, in Objectorum enodatione explicabuntur.

3. Dividitur Gratia secundum Objecti, Formæ, & Effectus diversitatem variè. I. A CAUSÂ EFFICIENTE, in VOLUNTARIAM & NECESSARIAM: ILLA est, quæ ex spontaneo largientis affectu oritur, quoniam generaliter in remissione Juris, nihil æquitati civili & naturali adeò conveniens est, quàm voluntatem remittentis habere ratam. *arg.* §. 40. *Inst. de R. D. l. 9.* §. 3. *ff. de A. R. D.* l. 22. *ff. de leg. 3. l. 3.* §. 11. *ff. de adim. leg.* l. 55. ff. *de O. & A.* HÆC, autoritate legis etiam invito altero datur. l. 12 28. ff. l. 8. C. *solut. Matrim.* l. 20. *& seqq.* ff. *de Re Jud.* §. 37. *& seqq. Inst. de act* l. *un.* §. 7 C. *de Rei ux. act.* l. 10. §. 1. ff. *ad SCT. Turpil.* (2.) AB OBJECTO, Quod alia sit rerum CIVILIUM, quando quis legitimè, dominio, vel cuicunque suo juri civiliter competenti renunciat, ut eodem vel in totum, vel pro parte non utatur. *arg.* l. 29 C. *de Pact.* l. 20. ff. *de pact. dot.* l. 2. ff. *si quis à par. manum.* Alia rerum CRIMINALIUM, utpotè quando læsus transigendo pœnam remittit. l. 18. C. *de transact.* l. 17. § 1 ff *de Pact.* Vel quando Magistratus pœnam facinoris remittit. l. 1. §. *fin.* ff. *de quæst.* l. 3. §. *fin.* ff. *de Off. Procur.* l. 4. §. *fin.* l. 11. l. 27. *l.* 31. ff. *de pœn.* Vel criminis accusationem per abolitionem tollit. l. 8. 9. 10. 21. ff. *ad SCT. Turp. t. t. C. de Abolit.* (3.) A FORMÂ, secundũ varietatem actus, quod alia sit GENERALIS, alia SPECIALIS: ILLA quæ totam obligationem aut Jus aliquod tollit. *arg.* §. 3. 9. 10. *Inst. de Except. c. 7. x.* l. 2. 3. ff *eod.* l 14. ff. l. 10. C. *de sent. pass.* HÆC est quæ partem juris tollit §. 10. *Inst. de* Except. l. 3. C. *de gener. abol.* l. 12 C. *de donat.* l. 34. §. 1. l. 35. ff. *d. t.* l. 22. § 4. *ad Munic.* l. 2. 7. C. *de sent. pass.* l 8. §. *fin.* C. *de Vi. publ. & priv. l. 3. C. ne sanct. bapt. iter.* Et ita fit scriptis, vel sine scriptis. *arg* §. 2. *Inst.* l. 10. 25. 31. C. *de donat.* In personam certam, vel incertam. *arg.* §. 46. *Inst. de* R. D. sub conditione, vel absolutè. l. 2. §. 5. ff. l. 23. C. *de donat.* l. 21. C. *ad* SCT. *Vell.* l. 16. *de A. R. D.* l. 2. ff. *de his quæ in testam. del.* (4.) AB EFFECTU, qvod alia sit LICITA, quæ viribus subsistit, utpote quæ nec contra Jus tertii, nec contra leges est. l. 98. §. 8. ff. *de solut. junct.* l. *pen. & ult.* C. *de pact.* Alia PROHIBITA cum jura voto petentis, vel facto concedentis contrarientur. l. 12. C. *de transf.* l. 29. ff. l. 5. C. *de LL. t. t. C. de Prec. Imper. offer. t. t. quæ in fr. cred.*

4. CAUSA EFFICIENS est REMOTA vel PROPINQUA. ILLA, est PRIMA vel SECUNDA. PRIMA, est ipse Deus à quo omnium rerum dependet originalis essentia. Omnis enim res ut sit, non potest sui ipsius esse causa, quia aliâs prior esset se ipsâ, quod implicat, cum positivè nulla res influat in se ipsam, sed aliunde suum esse desumat, à quo dependet. Et hic est ipse Deus, Ens entium, & Creator creaturarum, à quo processerunt totius mundi Elementa. l. 1. *pr. C. de V. I. Enucl.* Et omnia quæ per hæc vigent; Ita etiam omnis Gratia & Benignitas ab eodem promanat, quia est fons gratiæ l. *fin.* §. *fin.* C. *de summ. Trin.* Quamvis enim respectu malorum sit Iudex Zelotes, *Exod.* 20. *v.* 5. *Deut.* 4. v. 2. *&* c. 6. v. 15. attamen pœnitentium est clementissimus pater, qui æternæ suæ Gratiæ signum, abundè nobis exhibuit. *Gen.* 9. *v.* 13. Quæcunq; enim nostra sunt, non legali nostrâ Justificatione possidemus, sed gratiæ Dei Jure meritò accepta ferimus, quod exemplo Divorum Romanorum Principum. *l.* 1. *C. de summ. Trin.* l. 1. *C. de V. I. E. l. fin. C. de quadr. præscript.* l. 2. *C. de Præf. Prat. Afr. Nov.* 28. *in fin. Nov* 73. *in præf. Nov.* 6. *pr.* Germanorum etiam Sacratissimi Imperatores ac Principes piissimo effato testantur, in omnibus ferè rescriptis ac diplomatibus; Wir von Gottes Gnaden. 2. F. 27. *pr.* SECUNDA est naturalis hominum ratio, quâ homines ad mutuum amorem ac benivolentiam incitantur. l. 3. *ff. de* J. *&* J. l. 1. ff. *de Min.* *Sen.* 2. *de Ira* c. 8. Cum enim natura fecerit hominem animal sociabile *Arist.* 1. P. 2. unde Reipub. dicitur nasci. *l.* 1. §. 15. *de Vent. in poss. mitt.* l. 2 *in fin.* ff. *de LL.* & ad conservandam compagem humanæ consociationis, gratiam rigori anteponere debet. l. 7. *in fin. de serv. expor.* l. 17. §. 3. *Commod.* Inde Justinianus Imp. in *Nov.* 163. *pr.* *Præstantissima* inquit *inter homines bona sunt*: JUSTITIA & BENIGNITAS, *quarum Altera æqualiter Jus suum cuiq; tribuit, nec appetit aliena; Altera ad misericordiam decurrit, & debitorum incommoditate egentes liberat.*

5. CAUSA PROPINQUA, est quivis, qui contra proximum suum juris alicujus exsequendi potestatem habet, eamq; gratiosè remittit, vel Jus aliquod cedit. Is etenim qui Dominus est alicujus Juris, quin illud etiam cum aliquo abusu possit minuere non est dubitandum. l. 7. *in fin. & seqq* ff. *de pact.* l. *fin. C. qui bon. ced. poss.* *nemo, de R. l. in 6. l.* 163. ff. *eod.* Ut enim quisq; est rerum suarum Dominus & Arbiter l. 21. C. *mand.* l. 2. ff. *de his qui sunt sui vel al. l.* 10. *C. de*

Priv.

Priv.ædif. Ita etiam abutendo, si abusus nec in publicum detrimentum, nec tertii præjudicium, sed commodum vergat, res suas potest administrare. *l.* 25. §. 11 ff. *de pet. her.* l. 11. C. *de Contr. emt.* l. 7. C. *de Rel. & sumt. fun.* quia aliàs valdè iniqvum videretur, libero homini liberam suarum rerum denegare administrationem l. 2. ff. *si à par. quis manum.* imò contra libertatem naturalem esset, ac servitutis umbram induceret. §. 1. 2. *Inst. de Jur. Person.* l. 4. ff. *de stat. hom.* Et quamvis in thesi hæc ita generaliter concludant, tamen in hypothesi illa naturalis facultas vi, vel jure, variis modis circumscribitur, dd. ll. Quidam enim vi prohibentur, qui nempe justam servitutem serviunt, *l.* 1. ff. *de his qui sunt sui vel al. Jur.* Quidam autem ratione conditionis, ac rei qualitate. Præprimis enim requiritur, ut gratiã concedens absolutè sit Dominus, & res concedenda lege, statuto, aut consuetudine sit alienabilis. l. 114. §. 14. ff. *de leg.* 1. *l. fin. C. de litig.* l. *ult. C. de reb. ali. non alien.* l. 7. *ff. de don.* l. 9. § 3. *eod.* l. 25. *de m. c. donat.* Cautè igitur gratiam concedens agere debet, ne ex liberalitate duplex sentiat damnum. Quare Domini explicatio est præmittenda, quia fundamentum Gratiæ constituit.

6 *Dominus*, quia in domo dominium habet dicitur à *domo*, allusione Gramatica. l. 195. ff. *de V. S. A Dominio* verò derivatione Logicâ, quâ concreta derivantur ab abstractis; Ita Dominus prædicatur de suo subjecto, nempe dominio, utpote quod dominum cõstituit, & tale ergò est prædicatũ, quale demonstrat subjectum l. 32. ff *solut. matrim.* l. 3. ff. *de fund. instr.* l. *fin.* §. 1. *de Trit. Vin leg.* Dominium autem in jure nostro tam latè patet, ut non tantùm res corporales, verùm etiam incorporales contineat. l. 1. § 7. *de Off. Præf. Vrb.* l. 3. ff *si usufr. pet.* l. 8. *de reb auth. Iud. poss.* eâdem ratione etiam dominus dicitur respectu utriusq; rei; Nam qui hereditatem consequitur dicitur dominus, hereditas autem tam corporales quàm incorporales res comprehendit, quia est successio in universum Jus defuncti, l. 24 ff *de V. S junct.* l. 11. ff. *de lib. & post.* l 49. *de V. S.* l. 7. ff. *de bon. damn.* l. 15. §. 8. ff. *quod vi aut clam.* Sive itaq; quis habeat Jus in re, sc. Potestatem circa rem quæ eam afficiat, l. 19. 11. 13. §. 1. *ff. de damn. inf.* l. 48. ff. *de solut. d.* l. 8 ff. *de reb. auth. Iud. poss.* l. 31. ff. *si Vsusfr. pet.* l. 19. §. 3. ff. *de Castr. pec.* l. 30 ff. *de nox. act. c. si tibi, c. quodam. de præbend.* Sive ad rem, scl. quod afficiat personam extrinsecùs, ad dandũ vel faciendum. l. 3. ff. *de O. & A. Nov.* 135. *c.* 1. *in fin.* Sive in Per-

ſonam, quod ſc. eam afficiat intrinſecus, ratione ſtatus ſui, ſeu conditionis. l. 1. ff. *de his qui ſunt ſui vel. t. t.* ff. *de ſtat. hom. t. t.* ff. *de Jur. perſ.* ſemper in latiori ſignificatu, nomine Domini relativè ſignificatur l. 9 ff. *de damno inf.* §. *fin. Inſt. de his qui ſunt ſui.* l. 70. §. 1. l. 191. §. 1. *de V. S.* l. 1. *de R. D.* l. 32. §. 3. l. 39 §. 12. ff. *de Proc.* l. 13. §. 1. C. *de. Iud.* l. 1. C. *de ſent. & inter.* §. 2. *Inſt. de Iur. perſ.* Atqui ita in dominio eſſe dicuntur, quæ ſtrictè ac propriè loquendo in eo non ſunt l. 7. ff. *de ceſſ. bon.* l. 15. §. 5 ff. *de re jud.* l. *fin.* C. *de cenſ d.* l. 9. *&* 19. *de damn. inf.* l. 36. ff. *ad SCT. Treb* l. 91. *de V. S.* l. 16 §. 2. *de Evict.* l 3. *pr.* l. 9. 15. § 1. ff. *de pign.* l. 5 C. *ſi al. res pign.* l. 9. §. *fin.* l. 11. § 3 ff. *qui pot. in pign.* l. 12. §. 2. *de furt.* l. 38, §. 2. ff. *de liber cauſ.* l. 10. ff *fam. erc.* l. 1. 3. 5. ff. *de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſ* Unde etiam DD aliud dominium conſtituunt Proprietatis, aliud Juris & Juriſdictionis, *l. 2. C. de quad. præſcript.* Ita etiam in meo propoſito, aliquod requiritur dominium ejus qui Gratiam vult concedere: Quia in re alienâ nemo præſumitur, nec eſſe tutò liberalis poteſt. l. 83. *de V. O.* 1. F. 10. Lucri enim i. e. furti ſpecies eſt, ex alieno beneficium impertiri. l. 54. §. 1. *de furt.* Quando verò dominium ſtrictè ſumitur, Eſt jus in re conſtitutum, quo res alicujus propria eſt. l. 3. C. *de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann* l. 13. § 1. C. *de Iud. junct.* l. 13. §. 1. l. 19. ff. *de damn. inf. Rubr.* C. *de Iur. dom. imp.* l. 52. §. 10 *pro ſoc.* l. 13. C. *de pœn.* l. 13. *de A. R. D.* l. 1. §. 1. *ad SCTum Silan.* Et ita quod in dominio eſt, idem dicitur in Patrimonio noſtro eſſe *pr. Inſt. de* R. D. à quo res incorporales propriè loquendo ſeparantur l. 1. ff *de uſu & uſufr leg.* l. 9. ff. *rem. pup. ſalv. for.* Atqui hac ratione rectè dicitur rerum incorporalium nullum eſſe dominium l. 1. §. 1. l. 3. *pr.* ff. *de A. P* §. 40. *Inſt de R. D. pr. Inſt. de inut. ſtip. d* l. 1. §. 1. *ad SCT. Silan.* l. 25. *de V. S.* l. 4 *pr. comm divid.* l. 43. §. 12. ff. *de furt.* l. *un* §. 3. *de remiſſ.* §. 6. *Inſt. de Interd.* Præſertim cum ratione effectus maximoperè differant: Alia enim eſt actio, quæ ex dominio ſpecialiter ita dicto oritur, & dicitur Rei Vindicatio. §. 1. *Inſt. de act.* l. 25. ff. *de O. & A.* l. 18. ff. *de Vſuc. t. t.* ff. *&* C. *de* R. *V.* Alia ratione rerũ incorporaliũ oritur actio, quæ non formâ rei vindicationis. l. 56. *de R. V.* utpotè quæ ipſis rebus, non autem earum qualitatibus ſubſervit, inſtituitur, l. 13. 23. *d. t*; Sed quæ illâ ceſſante ſubſtituitur, diciturq; Negatoria & Confeſſoria § 2. *Inſt. de Act. t. t.* ff. *ſi uſufr. pet. t. t.* ff. *ſi ſerv. vind.* Ulterius etiam ſtrictiſſimè ſumitur dominium, & tantùm denotat proprietatem abſcedente uſufructu, l. 19. ff. *de damn. inf.* l. 6. *pr.* l. *f. qui bon. ced.*

poſſ.

poss § *fin.*l.*d.usufr.*l. 25. ff *de V. S.* Quamvis in multis casibus Usus-fructus pars dominii dicatur, i.e naturam ejus imitetur. l. 4.*de usufr.* l. 58.*de VO.*l.S.ff.*de Reb.auth.Jud.poss.*

7. Veteres Romani, Triplex constituerunt dominium: Quiritarium, Bonitarium & Plenum. Quiritarium, quod quis iure Quiritium habebat, cum videlicet res esset mancipata, vel in iure cessa, vel adiudicatione acquisita. Bonitarium cum res alicui simpliciter esset tradita, sine mancipatione. Plenum cum quis utrumq; haberet coniunctum *Ulp.de Dominio v.* 2. Quæ distinctio subtilitatis ludibrio plena, à Justiniano fuit sublata l.*un.C.de nud.Iur.Quir.toll.* Interim tamen hodienum apprimè cognitu utilis, ad enodandum varios Juris textus *arg* §. 3. *Inst. de Emt.Vend.* *Alia* distinctio quæ priori penè similis videtur, sed in rerum argumentis maiorem vim obtinet, desumitur ex l.30.C. *de I.D.* quâ aliud dominium est Naturale, cuius effectus est, quod mulieri, vel cuius rei dotalis competit, stante matrimonio administratio eius denegatur, l.2.§.1. ff *sol matr.*l.7 § 3 ff *de I.D.*l.9. C.*de R.V.*l.13.§.10 ff.*de her pet* Aliud Civile quale stante matrimonio, ad sustinenda eius onera, maritus habet in bonis dotalibus l.19 *de O.& A.*l.7.*pr.*ff.l.20.30.C.*de I.D.*l.13.§.2.*de fund. dot.* cuius intuitu vir omnes lucratur fructus & accessiones l.7.C. *de pact. conv.* l.7.*pr.*l.56 §.1 ff l.20.C.*de I.D.* hoc tamen dominium soluto matrimonio, vel marito ad paupertatem dilabente, ad dominum naturalem redire, iuris est.*d.*l.30.l.29.C.*d.t.* c.*per vestras x.de don. inter vir.& ux.*l.*un.pr.C.de rei ux.act.* atqui ita respectu mariti res alienæ dicuntur. l.7. §. 12. ff. *solut. matrim.* *Tertiò* aliud est Dominium Proprietatis, aliud Juris & Jurisdictionis: Quæ distinctio, quia res ipsas distinguit, à Juribus in re constitutis, necessaria est, de quâ in Th.præc. *Quartò* Dominium proprietatis aliud dicitur Plenum, aliud Minus Plenum. Illud, quod cum iure utendi fruendi est conjunctum.l.17.*in fin.*ff.*de R.V.*l.17. ff. *quib. mod. usufr: am.* dicitur etiam in iure absolutè Proprietas.l. 13. ff *de A.R.D* l.12. §.1.*de A. P.* Hoc, quando abscedente usufructu, sola proprietas dominium constituit.§.*fin.Inst.de Usufr.*l.66 ff.*de I.D* *d.l.*17.ff *quib. m.usufr.*l.4.C.*de probat.*l.16.§ 1.ff.*de Usu & hab.* l. 126. *de V O.*l. 33.ff. *de R.V* Sequitur *Quintò* vexata illa magistralis distinctio dominii, in Directum & Utile, quæ non tantum ex Principiis Juris

solidè

solidè deducitur, verùm etiam in Legibus Imperii, prudenti Procerum consilio locum habet, *Instrum. Pac.* §. 3. §. 11. *vers. Regia.* §. 15. ILLUD, proprietario competit, cum quibusdam utilitatibus rei. Hoc, Illi qui præter nudum usumfructum Jus aliquod uberius in re proprietarii constitutum habet: Ususfructus enim quatenus servitutis species est, non est in Dominio, ergo nec per se Dominium habet l. 25. ff. *de V. S.* à quo tamen longe differt Jus VASALLI cui ratione feudi plus competit, quàm personale Jus utendi fruendi. 2. F. 8 *vers. rei. vers. quamvis, &* 2. F. 25. EMPHYTEUTÆ, cui etiam quodammodo alienandi, ac vindicandi Jus concessum est l. 1. §. 1. *ff. si ag. vect* l. 3. *C. de Iure Emph.* l. 1. *C. de fund. patr.* l. 71. §. *fin. de leg.* 1. l. 219. *de V. S.* SUPERFICIARII, qui superficiei dominium utile habet. l. 15. ff. *qui pot. in pign.* l. 74. 75. ff. *de* R. V. l. 1. *pr* §. 1. *&* 3. ff. *de superfi.*] & hac ratione firma manet regula Juris: Duo in solidum i. e. eodem respectu, non possunt esse unius rei Domini. l. 5. §. *fin.* ff. *comm.* His positis, jam de Domino agendum erit,

8. Vox Domini *Primò* sumitur absolute & independenter, & ipsum Deum denotat, qui immensâ suâ potentiâ, cuncta creavit & hodienum sustentat tanquam Dominus dominantium *Deut.* 10. 17. *Apoc.* 19. cuius tota terra est *Exod.* 20. *v.* 5. l. 6 *C. de summ. Trin.* *Secundò* relatè & dependenter, quatenus aliquis finitam exercet potestatem in res humanas, & ita absolutè denotat Principes terræ, qui potestatem in terræ districtus, & eius incolas exercent. *arg.* l. 215. ff. de V. S. Quoniam autem vox Domini hâc consideratione inter liberos homines dura censetur *Arist* 8. *p.* 10. præsertim cùm, ut olim in Persiâ. *Herod. lib.* 3. ita hodienum in Turcico & Schytico Imperio Tyrannicum cernamus dominatum, utpote in quibus Principes omnimodam sibi potestatem in subditos & eorum bona tribuunt; Itaq; Augustissimus Romanorum Augustus, ut etiam iniquam administrationis suspicionem removeret, hunc titulum ut obprobrium semper exhorruit, ac Edicto prohibuit. *Suet. in Aug. c.* 53. quem eâdem intentione secutus est Tiberius. *Suet. in Tib. c.* 27. A quâ Clementiâ ac humanitate longissimè discessit Domitianus, qui proprias literas dictitans, ita cœpit: *Dominus noster sic iubet*, eandemq; appellationem sibi tribui voluit. *Suet. in Domit. c.* 13. *& Calig. c.* 22. Et quamvis nostro etiam tempore Gloriosissimi nostri Principes hoc utantur Encomio,

P 2

per se quidem hic titulus si ritè sumatur ac intelligatur, malus non est, cum ipse Deus Dominum super homines sanâ ratione constitui non improbârit, *Gen. 27. v. 29 & 40. Deut. 17. Nov. 7. c. 2. §. 1. l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* absit tamen ut tyrannicum dominicæ potestatis imperium indè deducere velim, quia verba semper ex adjuncto sunt intelligenda. l. 70. §. 1. l. 91. ff. *de leg.* 3. l. 23. ff. *de pet. hered.* Unde etiam Tiberius Romanorum Senatores vocavit Dominos, *Suet. in Tib. c. 29.* Quemadmodum etiam in jure nostro vox Domini diversimodè sumitur; Uti cum uxor maritum vocet Dominum, nempè REVERENTIALITER, l. 88. §. 2. *de leg.* 2. l. 57. ff. *de don. inter. vir. & ux* quod Juri Divino congruit. *Gen. 31. v. 35. c. 32. v. 5. 33. v. 14. 1. Tim. 2. v. 12. 1. Cor.* 14. HONORABILITER, quando nomen colloquentis latet. *l. 22. Ad L. Falc. Sen. Ep. 3. Vnde Martial.* Cum te non nossem, dominum, regemq́, vocabam. BLANDIENDI CAUSA. *Ovid. Amor.* 3. Et mihi blanditias dixit dominumquè vocavit. Ita inverso ordine, maritus uxorem vocat Dominam l. 19 §. 1. ff. *de ann. leg.* l. *ult.* §. 1. *de aur. & arg. leg.* l. 41. *pr. de leg.* 3. vel dominam cohærentem, *Nov.* 74 *c.* 4. In germanico autem idiomate, vox Herr, Baronem denotat, quem titulum etiam Imperatores nostri non respuunt, scil. Herr in Frießland rc. In meo autem proposito Jus aliquod denotat personale aut reale, *arg.* l. 21. C. *mand* l. 83. ff. *de V. O.* §. 40. l. *de R. D. l.* 3. *ff. si usufr. pet.*

9 Quoniam autem Imperator noster summus in nostro Imperio est Dominus, priùs de eo agendum, quatenùs, & qualem gratiam in Imperium & Imperii cives exercere possit. Duplici autem respectu dicitur Dominus 1. Ratione potestatis principalis, ita relativè dicitur Dominus mundi, *A. B. c. 2. § præstito.* l. 9. ff. *ad L. Rhod. de jact.* l. 14. C. *de Iudic.* l. 3. C. *de summ. Trin. Nov.* 30. *in fin. pr.* Ratione patrimonii privati. l. 3. C. *de quad. præscr.* (quæ lex a DD. oscitanter ad membrum prius referri solet.) l. *ult.* C. *ne rei dom. vel templ.* quæ res Principis, seu Imperatoris in variis Rubricis ac Legibus libri 11. Cod. dicuntur dominicæ ac privatæ. Priori modo consideratus Imperator dicitur PRINCEPS. l. 31. ff. *de LL. t. t. de Constit. Princ.* § 6. *Inst. de* J. N. G. & C. R EX. 2. F. 40. §. *item si Clericus* qua voce hodiè designati Imperatores insigniuntur, qui dicuntur Reges Romanorum, & superstite ac Præsente Imperatore ab eo dependent. R. J. de Anno 1544, §. vñ dieweil aber wier & §. Damit

 auch

auch.R J.de Anno 1548.pr.1555.§.solches alles und jedes.1559.pr.nec illa quæ sunt iura Imperii curant, Cap.Ferd.3.art 49.& Cap Ferd. IV.§ 47.CÆSAR.l.3.ff.*de hu quæ in testam.del.pr.proœm.Inst.* Quamvis & hic titulus olim designatis Imperatoribus sit assignatus. l.7 *C.de Malef.& Mathem.Suet.in Vespas.* CAPUT IMPERII, A. B. c. 2. R.J.de Anno 1530. § deßgleichen Wir.1545. §. also und dermaßen. 1566. §. und nach dem dan 1570.§. nach erledigten; Cui opponuntur membra, Germ. Christliche Glieder des Reiches. R. J. de Anno 1546. §.dieweil aber. 1548. Quia Imperium nostrum corpus aliquod mixtum repræsentat. R.J.de Anno 1512. pr:

10. Imperator autem Imperii Dominus iterùm duplici consideratione dicitur: Primò, respectu directi dominii. der Oberste Herr R J. de anno 1442. pr. quatenus nomine proprio Imperii Feuda Regalia Fahn und Scepter lehen Statibus imperii concedit. *arg.1.F.1.§ 2.2.F.4.in fin.* Qui etiã ab eo investiturã petere tenentur *Inst.pac.§.10.vers vicissim.* Ex quo maxima eius authoritas refulget dum enim, vel persona imperatoris mutatur, vel persona vasalli, tenentur Status imperii statuto tempore investituram & eius renovationem petere, eidemque ac imperio fidelitatem jurare. *d.§.vicissim.Capit. Ferd. III.. art.33.& 42.* Et quamvis communi Feudorum jure, Dominus feudi vasallo remittere possit, juramentum fidelitatis, utpote quod essentiam feudi non constituit 2.F.3. quia sequi solet investituram factam. 2. F.4.6. Attamen Imperator quia Administrator est imperii R.I.de anno 1559. pr: eiusquè jura juratà capittulatione servare tenetur *Capit. Ferd. III. & Ferd.IV.art.2.3.R.I. de anno* 1570. pr. nulli potest gratiam hujus juramenti facere, nec veterem investiendi modum proprio conatu immutare. *dd.cap.art. 33.& 31.* Non enim tantùm concernunt personam Imperatoris, verùm etiam totius imperii, unde jurant imperii Status: dem Römischen Käyßer und dem Reiche trew / Hold, und gehorsam zu sein/& dicuntur Unsere und des Reiches Unterthanen. *R.I.de anno* 1521.*pr:O.P. de anno* 1530. *tit.* von Zigeunern. Quemadmodum illa loquendi formula in recessibus Imperii est usitatissima, ut hæ voces conjungantur. Unser und des Reichs/*O. M.de anno* 1559.§. Wie aber vorgestelte. *O.C p.1.Tit.* 44.*R.I.de anno* 1548. §. Damit auch künfftig; Et hic loquendi usus non tantùm respectu civitatum observatur. R.I. *de anno* 1555.*pr.d.anno*

57. §.

1557 § so haben wir uns Sed etiam omnium subditorum. R I. *de anno* 1542. §. hierumb. Et cuiusvis Principis. R.I. *de anno* 1557 § weiter ist. Quoniam autem nemo potest plus juris in alium transferre quàm ipse habet. l 54. *de* R. I. l. 20. ff. *d. A. R. D.* l. *fin. C. de reb. alien. non al.* Nec Imperator hîc gratiam exercere potest, quia donationem illa sapit. *arg.* l. 19. §. 1 *d. donat.* l. 12. *de Novat.*

11. Quemadmodum autem ex Iure communi vasallus sine urgenti causâ non potest feudo privari. 2. *F.* 9. *in fin.* 2. F. 34 §. *ex eâdem.* nec iniuriâ affici. 2. F. 26. §. *Domino*, quippe cùm etiam Dominus vasallo quamvis non ad parem obligationem juramenti, tamen ad fidelitatem teneatur. 2. F. 6. 2. F. 52. § *fin.* 2. F 26 §. *Domino.* 2. F. 47. Ita etiam nostri Imperatores Statuum jura nec immutare nec minuere possunt aut volunt. *Instr. pac. Art.* 8. *pr: Capit. Ferd. III. & IV. art.* 2. 3. 8. Imò ulteriùs illorum potestas astringitur, Dominus enim feudi, propter feloniam commissam, vasallum feudo privare potest. 1. F. 21. 2. F 38. 47. Imperatores autem sine consensu Electorũ neminẽ vel feudo privare, vel etiã imperii banno ferire possũt. *Capit. Ferd.* 3. *art.* 30. *Ferd.* 4. *articulo* 28. Nec feuda imperio aperta, nulli rursus proprio motu possunt concedere, vel etiã pro mittere. *Cap. Carol. V. art.* 9. *Ferd. III. art.* 32. *Ferd. IV. art.* 30. Verùm ut deplumata & expilata aquila reviviscat ac respiret, ea rursus ad Imperii, vires debẽt reducere. Et hoc quamvis potestatem dominantis coarctet, attamen cũ officio boni Principis maximè est conveniens, cui tanquam tutori ac curatori convenit, bona Imperii ut pupilli ac minoris defendere ac modis omnibus adaugere. l. 3. C. *de Iure Reipubl.* l. 23. *de SS. Eccl. Nov.* 7. *in præfat. Iunct.* l. 7. §. 3. ff. *pro empt.* Quare etiam ex interpretatione Germanorum dicuntur semper Augusti, Alle zeit Mehrer des Reichs R. I. *de anno* 1442. *pr: ibi:* daß Wir ein Mehrer genand sein. Omnis enim cura ac intentio Principis, eò directa esse debet, ut in publicam vergat utilitatem. l 3. ff. *de Off. præf. vigil Nov.* 11. *in præf.* ne abscissione membri, fiat homicida proprii corporis. l. 13. ff. *ad L. Aquil.* Quodvis enim Imperium mysticum corpus, ad veri viviquè corporis formam modumque ostentat, quod præprimis de nostro Imperio est manifestum.

12. Multò ergo minùs potestatem sibi sumat Princeps in bona privatorum, utpote cùm potestas Principis non debeat

cumulari cum usu ac proprietate rerum in patrimonio singulorum existentium, quoniam Jus Gentium ex quo dominiorum distinctio oritur. l. 5. ff. *de* I. & I. cuique liberum suarum rerum concedit usum. l. 27. §. 1. *de nox. act.* l. 7. C. *de Relig. & sumpt. fun.* Eò pertinet nervosus & elegãs locus Senecæ. l. 7 *de benef. c. 4. 5. 6. ad Reges potestas omniũ pertinet, ad singulos proprietas. Nam optimus Rex omnia imperio possidet, singuli Dominio*, & *c. quo iure. d.* S. Cùm autem omninò iniquum sit, cum alterius damno locupletari. l. 14. ff *de condict. indeb.* nulli quàm Principi tam benè convenit, suum cuique tribuere, in quo summus versatur justitiæ particularis nervus, qui eam à reliquis virtutibus reflectit. §. 3. *Just.* l. 10. ff. *de* J. *&* J. l. 31. ff. *deposi.* Quamvis enim Princeps ratione potestatis legibus solutus esse dicatur. l 31. ff *de LL.* tamen respectu officii censetur habere voluntatem legibus conformem. l. 4. C. *de LL.* l. 23. ff. *de leg. 2.* §. *ult. Inst. quibus mod. testam. infirm.* Semper enim potestatem suam in incrementum ac salutem populi exercere, iure meritò compellitur. *Ezech. 45. v. 3. 3. Reg. 21. c convenior. 23 q. 8. Deut. 17. l. 7. C. de prec. Imper. offer.* l. 1. *in pr:* C. *de summ. Trin.* l. 103 *de R* J. l. 8. C. *de LL.* l. *fin.* ff. *de natal. rest.* l. 3. C. *de rescind. vend.* 1. F. 7. nisi summa necessitas ac utilitas contrariũ suadeat: si fortè civitatis munitio subditorum defensionẽ, vel alia evidens causa moveat. l. 18. C. *de oper. publ.* tunc enim refuso pretio, vel factâ permutatione, privatorum bona publico commodo cedunt. l. 13. § 1. ff. *comm. præd.* l. 2. C. *quibus caus. serv. pro proem. lib.* Omne enim magnum exemplum utilitate Reipubl. rependitur. *Tac.* 14. *Ann.* Quæ enim communiter omnibus prosunt his præferri debent quæ specialiter quibusdam utilia sunt. *Auth. res quæ. C. comm. de leg* Quicquid autem præter publ. necessitatem extorquent Principes, contra ius & æquitatem exigunt, quoniam contra naturam est, sine causâ cum alterius damno ditescere. l 20 *. de* R. J. Nec etiam Imperialis est dignitatis proprium, concessa auferre. *Nov* 10. §. 1. *Nov* 81. *c.* 1 §. *illud.* multò ergò minùs subditos ipsos alienare poterit Princeps, quoniam regulariter hujus dignitas ex illorum voluntate profluit, non itaque privativè se & suas fortunas imperanti subjecisse intelliguntur. *Nov.* 149. *c.* 3. *Nov* 161 *c. 2. vers. atq; hæc.* Ita enim concessa dicitur esse Principibus Romanorum summa potestas, ut per eam omnibus consuleretur. l. 2. §. 11. *de* O. *Jur. Tacit.* 1. *Ann.* 9.

13. Se-

13 Secundò, Imperator dicitur Dominus Imperii, ratione Jurisdictionis superioris, quia universa sunt in Imperio Cæsaris. *Sen. d.l. de Benef c.1. dist. 8. l. 3. C. de Ep. aud.* Et quāvis quidē propriè Dominiū ita non sumatur, ut *Th. 6 & 7.* probavi, attamen per aliquam analogiam à DD. dicitur dominium Juris. *arg. l. 5. §. 3. ff. quod vi aut clam. l. 8 ff. de reb. auth. Jud. poss.* Unde Regimenta in imperatorem translata esse dicuntur. *l. un. ff. de off. præf. prat.* Germ. Kayserliche Macht und Vollenkommenheit. *R. I. de anno 1529. tit.* Kayserliche *Constitution* wie Bruder oder Schwester Kinder *&c. t. constitutio* oder *mandat* wieder die Wiedertäuffer. §. Hoch und Ehrwürdige R. J. *de anno* 1530. §. Nach dem auch. *A. B. tit. 3. O. Notar. de anno* 1512. *R. I de anno* 1559. § und nach dem. 1548. *tit.* Aufhebung aller fehd. *& R. J. de anno* 1442. *pr:* Quæ tamen potestas hodiè relatè & non absolutè est consideranda. Et quamvis commune sit juris dicterium quòd quævis potestas & Iurisdictio in Imperatore resideat, & ab eo tanquā ex fonte promaneat. *c. in apib. 7. q. 1.* originaliter hoc est intelligendum, quatenùs primitùs Imperii status magis fuit unius arbitrio Monarchicè moderatus. *Tacit. 1. Ann 9. l. 2 § 11. de O. I.* Postquam autem Imperium Romanum virtute Caroli Magni ad Germanos fuit translatum, veterum Magistratuum officia de quibus *in lib. 1. ff. & C.* quæ personalia erant, & ex benevolo Imperantium nutu ac voto dependebant. *arg.* l. 1. §. 7. *C. d. V* J. *Enucl.* l. 1. *de const. Princ* §. 6. J. *de* J. N. G. *&* C. facta sunt pedetentim hæreditaria, unde hodiè, Duces, Marchiones, LandGravii, Comites &c. proprio Jure à Majoribus acquisito, territoria sua administrant atq; ita si Imperium & ejus Jura in se consideraverimus, reperimus veterum Germanorum libertatem refloruisse, inter quos Principes potiùs audiebantur, authoritate suadendi quàm Jubendi. *Tac. de Mor. Germ. c. 11.* Unde etiam dicuntur capita Christliche Häupter R. J. *de anno* 1524 § weiter nach dem / *de anno* 1527. §. nach dem auch / potestas enim territorialis proprio Jure ipsis competit. Dum enim authoritate Imperatoriæ Majestatis semel acquisiverunt superioritatem territorialem non alterius nomine & bono, sua territoria regunt, sed in proprium commodum, non enim precarii sunt possessores ut veterum Romanorum Magistratus, sed titulo dominii & jure reali quævis faciunt, ita ut etiam præsente Imperatore illorum potestas non obmutescat.

Capit. Ferd. IV. *art.*3. *Instrum. pac.* §.8. Quia concessa cuiq; jurisdictio est servanda, ne confusio oriatur. *c. pervenit.* 11. *q.*1. 1. F. 7. Imò insuper in majoribus etiam Imperii Juribus, tanquam consortes & majestatis participes admittuntur *d.* §. 8. *Instr. Pac.* Unde dicuntur ein verleibte Glieder der Kayserl. Majestät. R. J. *de anno* 1541. und Stände des Reiches. R. J. *de anno* 1546. §. dieweil/1542. §. und wiewohl Sive enim lex Imperii ferenda. *Capit.* Ferd. III. *art.* 3. R. J. *de anno* 1500. *pr.* 1559. 1576. Sive legi aliquid addendum. O. C. *de anno* 1555. *prooem.* R. J. *de anno* 1548. § welche erklärte. 1564. §. als in dem Abschied sive lex renovanda. O. C. *prooem.* R. J. *de an.* 1570. § damit dan. 1557. §. ferner. *Inst. Pac. d. art.* 8. Sive lex abroganda. R. J *de anno* 1500. *tit* die *Succession* der. &c. Semper Statuum authoritas cum Imperatoriâ Maiestate concurrit secùs ac de Jure Justinianeo fuit constitutum. l. *fin.* §. 1. C. *d. LL.* §. 18. 21. *de confirm.* ff. *const. Tanta. Nov.* 143. *pr.* Ita etiam in aliis plerisque imperii juribus, Status imperii concurrunt ut sive bellum gerendum, pax facienda, fœdus contrahendum, Imperatoris potestatem statuum authoritate temperatam esse, omnes capitulationes docent. Atque in iis etiam Gratia Imperatoris, quatenùs Imperium concernit valdè est circumscripta. Multa tamen Imperatori sunt reservata ex quibus supereminens eius potestas diiudicatur, quorum respectu, ut superiùs probatum est, dicitur die Römische Kayserliche Macht und Vollkommenheit. in quibus etiam relativè conspicua est gratia imperatoria.

14 Dominium autem hoc Jurisdictionis potissimum cōsistit in Jure constituendo, interpretando & administrando. De prioribus in *th. præcedenti* fuit dictum, posterius quod est de Jure administrando, hîc est discutiendum. Quæ administratio, ut meo proposito inserviat, non est interpretanda, de strictâ legum executione, sed utilitate & necessitate exigente, de earundem relaxatione, quoniam sæpe satius est dissimulare quàm ulcisci. *Senec. de Ira l.* 2. *c.* 33. Leges enim temporibus accommodare summa est prudentia civilis. *Nov* 73. *præf.* §. 1. *Nov.* 74. *in præfat. c.* 2. *dist* 4. Unde Gratiam legum ac pœnarum facere olim Imperatorum propriū fuit. *l.* 4. *l.* 9. §. 11. l. 2. l. 27. *pr:* ff. *de poen.* l. 1. § *fin. de quæst.* l. 12. *& tt.* ff. *de sent. pass. & rest.* l. 7. C. *de prec. Imp. off.* l. 3. C. *de Episc. aud.* Quoniam inter summa Majestatis jura refertur leges mitigare ac earundem gratiam facere. l. 45. § 1. *de Re lud.* Hodie tamē etiam Status Imperii

in suis territoriis vigore juris territorialis der Land-Fürstl. Obrigkeit/eandem gratiam exercere possunt: quæ privilegia Reges Romanorum ipsis juratò confirmare tenentur, *Cap. Ferd* II III. IV. *art.* 3. Si tamen abutantur suo jure, ac in iis Gratiam faciant, quæ ius naturale & divinum lædunt; Deo ac Imperatori rationem reddere tenētur R. I. *de anno* 1529. §. und nach dem. 1530. *tit.* von Gottes-Lästerung/ Quoniam verò Principes terræ, sunt Dii terrestres. *Exod.* 22 *vers.* 8. *Ioh.* 10. v. 34 Nullus omninò credat se posse prolubitu Leges Naturæ ac Dei positivas figere, refigere, flectere ac reflectere; verum ne quidem à viâ Iuris Civilis sine justâ causâ secedere posse, sibi persuadeat. l. 9 §. 5. *de public. & vectig.* l. 51. *ad L. Aquil.* l. 4. C. *de LL.* l. 15. ff. *de condit. instit.* Quoniam extremus legum finis est salus populi. *c. pen. ext. de consang. & Affin.* Minores autem Magistratus qui non immediatò sed mediatò Imperio parent quales sunt in civitatibus municipalibus quæ olim privatorum loco habebātur, nec Iurisdictionem exercere poterant. l. 16. de *V. S.* strictiori vinculo gratiam facere delicti prohibentur, dum enim jus aggratiandi inter regalia refertur, certè concessâ Iurisdictione etiam omnimodâ, illud non simul concessum esse credant, quamvis enim habeant potestatem judicandi de criminibus, attamen pœnam legibus definitam remittere nullatenus possunt. Iurisdictionalia enim cū Regalibus confundere, maximæ imprudentiæ est ac temeritatis, quā sententiā confirmant. l. 1. §. 4 *ad SCT. Turp.* l. 15. *pr. ad Munic.* l. 8 C. *de vi publ.* l. 1. C. *de desert.* l. 2. C. *de commercio & Merc* l. 1. §. *fin.* l. 6. C. *de pagā.* l. 1. §. *fin. de q.* l. 1. *de priv. carc.* l. 15. ff. *de poen.* Ex circūstantiarū ratione bonus Iudex quidē constituere potest. l. 37. ff. *de rei vind.* delictiq; pœnā per viam Iustitiæ mitigare, quia sēper pœna delicto commensurata esse debet proportione rei. l. 11. 16 *pr.* ff. *de poen.* l. 15. *de neg. gest.* junct. l. *ult. de furt.* l. 13. ff. *de pœn.* non autem per viam gratiæ. *l.* 37. §. 1. ff. *de minor.* l. 12. §. 7. ff. *de his qui not.* nam si delictum desideret pœnam extraordinariam, liberius esse videtur, arbitrium Iudicis quàm in ordinariis. l. 1. §. 1 ff. *de Effract* l. 92 ff. *de furt* l. 3 C. *de serv. fug.* l. 11. l. 13. ff. *de LL.* Minores enim Magistratus quicquid habent maiori acceptum referre debent. *arg.* l. 69. §. 1. *de leg.* 1. *l* 9. §. 1. ff. *locat.* & si fortè vel mandato superioris vel speciali concessione, aut etiam legitimâ præscriptione sibi acquisierint Iurisdictionem, cavebunt ne abutendo potestate

eâdem

eâdem rurſus priventur. *Nov.* 134.*c.*4.*c.*11.*t. t. de privil. & exceſſ.priv.* Qui enim fundamentum privilegii ſeu juris conceſſi deſtruit, indignum ſe privilegio reddit. *c* 3.*x.de ſtat. Monach* l. 48. ff. *de pecul.c.* 9.*in fin x.de conjug.cler.c.*24.*x.de privil.*l. 38. ff. *de neg.geſt.* Hi enim ſunt miniſtri Legum, quare nec latum unguem ipſis à tenore juris diſcedere fas erit. l. 13. C. *de ſent.& interloc. l.ult.* C *ſi contra jus vel util.* Et nullius applauſu in gratiam moveri debent. *Nov.* 15.*c.*1.§.1.*Nov.*83.*c.*13.l.79.§ 1.*de Iud. auth. hodie juvat.* C. *eod.* aut clementiores eſſe lege. *Nov.*82.*c.*10. niſi velint infamiæ notam incurrere. l.8.§.2.C.*ad L.Iul.de vi publ.* eo enim ipſo quis ſe criminis ſocium facere videtur, dum deſinit facinori legitimè obviare. *c. negligere.*2.*q* 7.*c.*5. *diſt.* 83. Ideoque eâdem pœnâ cum delinquente puniri debet. l.1.§.2.l.6 C.*de pagan.*l.*fin.C.ne ſanct.bapt.iter.* Præſertim cum ſuperiores meritò ſeverè ferant, ſi leges contemni animadvertant. *Nov.* 161. *in præfat.* Quare ſine graviſſimo ſacrilegii ſcelere inde diſcedere nequeunt. l. 3. C. *de Crim. Sacril.*l.3.C.*d.diverſ. reſcript.* Non enim his ſine rupturâ humanæ ſocietatis poteſtas conceditur leges mutare. l.15.*pr:* ff. *ad munic.* l.1.§.4.*ad SCT. Turpil.*l.12.§ 1.ff.*q.& à quib.manum.* Itaq; Iudices ſecundùm jus noviſſimum, pronunciata prudentum ſequi, pœnaſque executioni mandare tenentur prævio conſilio, C.C.*Car.V.art.* 160.219.

15 Tandem Imperator dicitur Dominus ratione Patrimonii; quod nomen tamen ipſi dupliciter tribuitur, propter diverſitatem rerum dominio ſuo ſubjectarum, quæ partim ſunt imperatoris propriæ, ac privatæ & dicuntur res Cæſaris. Partim fiſcales & dicuntur Res Fiſci. Res. propriæ dicuntur non quatenus ratione dignitatis ſunt Principis. *arg.t.t.*C. *de veſt.holo.* l. 16. C.*de diverſ.reſcript.*l.1.C.*quæ res veniri non poſſ* *Nov. Leon.* 80. *Suet.in Neron. c* 37. Sed quæ in proprio ſunt Principis patrimonio, non quatenus Princeps eſt, ſed quatenus eſt Ferdinandus vel Iuſtinianus. l.3.§.*fin.de Leg.*1.l.3.C.*de quadri.præſcript.* Unde privata dicuntur Principis ſubſtantia. l *pen.& ult.*C.*de fund. Patr. lib.*11.*Rubr.* C.*ne rei Domin. vel temp.* Quibus ad privatum uſum utitur. *t. t.* C.*de off.com.rer.priv.* Ac propriè dicuntur eſſe in Principis dominio, quia tranſeunt ad heredes. l.56.*de leg.*2. Quamvis ſine Iuſſu Principis non ſint in commercio. l. 39.§ *fin.de leg.*1. Et in his rebus liberrima eſt Principis poteſtas. l.2.C.*de quadr. præſcript.* Ne deteriores

rioris sit conditionis quàm privatus. Alia ratio est rerum fiscalium seu ærarii (quæ voces mutatâ imperii formâ promiscuè sæpè sumuntur § *9. junct §. fin. Inst. de Usuc.* l. 3. C. *de quadr præscript.*) quæ etiam propriæ sunt Principis, non tamen in eius, sed principatus patrimonio existentes, ad cuius salutem & commodum sunt collectæ. l. 2. C *de priv. fisc.* l 2. § 2. 4 ff. *ne quid in loc publ.* l. *fin* ff. *qui pot. in pign.* l. 6 *de Jure fisc.* & hæ res utiquè sunt in commercio. l. 72. §. 1. *de Contrah. emt.* l. *un.* C. *de vend. rer. fisc.* & t t. *seqq.* § *f. Inst. de Usuc.* Atque ad publicum jus dicuntur pertinere ab Imperatore Justiniano. *Nov* 17. *c.* 1. Unde dicuntur Camera Imperatoris & Imperii. R. J. *de anno* 1442. §. *ult.* Et quatenùs hæ res ex variis causis acquiruntur ita etiam diversimodè Imperatoris Jus in iis consideratur. Hodiè itaque si de collectis Imperii dicendum Germ. Reichsstewr/ Imperatoris gratia valde est restricta, ita ut nulli Statui gratiam facere possit ejus portionis quam conferre tenetur. *Capit. Ferd. IV. art.* 14. *Ferd. III. art.* 13. Nec facile concedenda est talis immunitas, etiam Justinianeo Jure. *t. t.* C. *d. immun nem conced. lib.* 10. Et collectas seu collatas contributiones in nullos alios usus convertere potest, quàm cujus gratiâ sunt exsolutæ. *Capit. Matth. art.* 12. *Ferd.* II. *art.* 10. *Ferd.* III. *art.* 23. *Ferd.* IV. *art.* 14. R. J *de anno* 1526. §. Weiter. 1529. §. und damit. 1 41. §. und damit 1594. §. und wiewohl/ nam regulariter pecunia usui alicui destinata non potest in alios usus converti. l. 1. 2. §. 4. l. 5. §. 1. ff. *de admin. rer. ad Civit. pert.* Et si non adhibeatur ad necessarios usus, unicuique vel in totum vel proportionabiliter est restituenda R. J. *de anno* 1526. §. Es haben sich. 1524. § item so der Türcke. Nisi Status Imperii consenserint, ut pecunia in certos usus collecta, in alium convertatur. R. J. *de anno* 1522. *pr.*

16 Nunc de singulorum potestate videndum, quatenùs nempè hi dominium alicujus rei habent, ejusque gratiam facere possunt, ubi præprimis generalis regula deducitur ex §. 40. *Inst. de* R. D. quod nempè nihil tam conveniens sit naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam habere. Ubi duo conjunctim requiruntur; Nempe voluntas & dominium concedentis. l. 9. §. 3. *de A. R D.* l. 20. § 2. *d. t.* l 5. l. 33. *de A P.* quia ita demum generaliter jus quod quis habet alteri potest concedere, atque gratiam ejus facere. l. 11. l. 54. ff. *de* R J. l. 21.

C *C. mand.*

*C.mand.*l.*pen.C de pact.*l.40.*C.de Episc.& Cler.*l.41. ff. *de minor* l.9.*C. de donat.* l. 18. *pro emt.* Interim tamen sæpè evenit, ut prædicta regula non procedat, quia accidit in jure, quod sit aliquis dominus rei, & tamen ius suum alii concedere non possit. *arg.t.t Inst quib alien.licet vel non*, & hoc est quod dicitur *in* l.202. ff *de* R.J quod nempe omnis definitio i.e. regula in Jure nostro sit periculosa. Quare DD firmiorem regulam deducere solent ex.*c cum super.*25. *x.de off & potest deleg.* tria sc. esse in omni actione civili spectanda ut valeat: (1) Potestas facientis, (2) voluntas, (3) Forma: horum si alterutrum desit, infirmatur actio; Quare & idem in exhibitione gratiæ observatur, quoniam nemo eandem exercere potest, si vergat in tertii præiudicium, legum contemtum, aut publicum detrimentum. l.12.*C.de transact.c.*12.*x.de for.com.*l.55. *de leg* 1. 18. ff.*de transact.*l.11.*ff.ad SCT.Maced.* Prohibentur itaque 1. Pupilli, in potestate tutorum positi, hi enim quamvis sint suarum rerum Domini; atque ideò in gratiam consentire videantur, etiam cum abusu. *arg.*l.2.ff *si á par.quu man.*l 7.*C.de relig.& sumt.fun.* attamen LL ipsis, sine authoritate Tutorum, qui in re illorum domini esse censentur. l.7.§3. *pro emt.* omnem gratificandi potestatem adimunt. l.25.*C.de admin tut.*l 28.*pr.*§ 2.*de pact* l 14 §.*fin.*l.15.*de solut* l.12. *ff de autor.tut.*l.1.*C.de accept.* Pupillus enim quoniam propter intellectus voluntatisque perfectionem denegatam, discretionem habere non intelligitur. l.9. ff. *de acquir.her.*l.*fin.de iur.& fact.ign.* ideò absentis loco habetur. l.5.*de R I.*ea quæ videt, ignorare censetur. l.1.*C.de fals.monet.* & sine tutoris authoritate, nec naturaliter obligatur, quatenùs nempe inde damnum sentiat, ut faciat rem suam deteriorem. l.41 ff.*de condict.indeb.*l.59.ff.*de O.& A.*l. 189. *de* R J.*pr.Inst.de auth tut.* ergò etiam nihil potest remittere, vel gratiam alicui facere. l.2.*C.de auth præst.*l.33. ff. *de* J.J. quoniam species lucri ac damni est, liberari ab obligatione *l. 66. de solut. l.* 11 ff *de accept.* De Minori 25. annis major esse possit dubitatio, propter obfirmatius Judicium. *arg.*l.5. *qui test.fac. poss.l.*101.*de V.O.pr.Inst.de nupt.* Verùm & hic si tutorem habuerit, ratione effectus planè comparatur pupillo quoniam curatoris authoritas eidem potestatem bonorum administrationis adimit. *pr.Inst. de Curat.* l.1.ff.*de minor.*l 1. ff *de Curat.furios.* ita ut læsus ipso iure sit indemnis, in illo negotio quod sine curatore contraxit. *l.3.C.de rest. in integrum.* si

tamen

tamen minor Juramento alicui confirmaverit promissum, illudquè sine dispendio æternæ salutis servare poterit, contra illud venire nequit. *c. quamvis. de pact. in 6. c. 28. x. de iur. iur. c. 2. eod. in 6.* quod utpote ex Jure Canonico est extra dubium, ita etiam Fridericus Imperator idem Jure Civili constituit, *auth. Sacramenta puberum C. si advers. vendit.* atque ita actus, qui non est per se, sed tantùm ratione ætatis invalidus, per sacramenti religionem potest confirmari. *d. auth.* Non tamen denegata pupilli ac minoris Gratia, curatori ac tutori libera est in bonis pupillorũ; Hi enim nullâ ratione bona administrationi tantùm commissa, sine urgenti causâ ac emolumento pupillorum gratis alienare possunt, quoniam de omni administratione rationem reddere tenentur strictissimâ. *Nov. 72. c. 8. l. 20. C. de adm. tut. l. fin. C. arb. tut.* R. J. *de anno 1548. tit.* von Pupillen.

17 Prodigi, utriq; huic comparantur, nam ratione potestatis circa suarum rerum administrationem, pupillo ac minori sunt similes. l. *9. §. 7. de* R. C. nec ullâ ratione suum patrimonium in deterius convertere possunt. l. *6.* ff. *de V. O.* Per prodigum autem non eum denoto, qui Ethicè consideratus talis esse censetur, nempè qui bona sua dissipando ac dilapidando furiosum videtur facere exitum: Sed eum qui censoriâ notâ notatus per sententiam Magistratus publicè talis est declaratus; Nam verum quidem est, quod propriis actibus se quis Prodigum faciat, sed ut effectu iuris talis sit, necesse est bonorum administratio ipsi ut inhibeatur, & ideo à Magistratu talis declarari debet. *l. 3. C. de rest. in integr. Valer. Max. l. 3. c. 5.* Hoc modo dicitur curatorem ex lege accipere *l. 1. l. 10. 13. 15. 16. §. 1. ff. de Curat. furios. l. 5. C. eod. §. 3. Inst. de Curat.* quatenus nempe cum lege Magistratus concurrit, Ut ita ILLA sit *causa remota*; HIC verò *causa proxima*; *mali* autem *mores*, qui effrenâ prodigalitate, bona paterna dissolvunt, *Objectum cui.* Idem ratione effectus dicendum de FURIOSO AC MENTECAPTO, quoniam hi omni consensu destituuntur quo alias actus civiles convalidantur *l. 40. de* R. J. l. *47. de Acq. vel amitt. her. l. 124. §. 1. de* R. J. l. *16. §. 2. q. test. fac. poss. §. 8. Inst. de Inut. stip. junct.* l. 1. *§. 3. de pact.* l. *57. de O. & A.* ubi itaque nulla voluntas est, nulla etiam gratia esse potest firma. Ratione potestatis, etiam hi gratiam facere prohibentur, qui propter circumscriptum dominium, speciali aliquâ lege

 arcen-

arceantur. *arg.* l. *ult.* C. *de reb. alien non. alien.* quod enim lege prohibente fit, valere non debet l. 5. C. *de LL.* Talis est DOMINUS FEUDI ratione utilis dominii. 2. F. 9. *in fin.* 2. F. 34. §. *ex eadē.* 2 F. 6. 55 § *firmiter.* VASALLUS. 1. F 5. *in fin.* 21. §. *si quis miles.* 2. F 26 § *feudum*, cuius ratio est in textu. 2. F. 52. *pr.* 55 *pr. vers.* 1. cui tamen licitum est feudū alii, sine consensu etiam Domini subinfeudare, modò fiat sincerè, ac iisdem conditionibus quibus ipse feudum accepit. 2. F. 3. §. *sed etiam rei.* 2. F. 9 *pr.* 2. F 26 § *beneficium*, 34. §. *profecto.* Quò etiam referuntur illi qui solvendo non sunt i. e. qui solidum solvere non possunt. l. 114. *ff. de V. S.* hi enim quamvis verè sint Domini suarum rerum, tamē in fraudem creditoris servos manumittere lege Ælia Sentiâ prohibentur. *pr. Inst. Quib. ex caus. man.* & bona sua alienare Edicto Prætoris, nempe actione Pauliana & rescissoriâ. § 6. *Inst. de act.* l. 38 §. 4. *ff. de Usur.* l. 1. 6. 10. *ff. quæ in fraud. cred.* l. 5. C. *de revocand. his quæ in fr.* A contrario, jam cuivis facile erit dijudicatu qui liberam potestatem habeat sui juris gratiam facere, ac idem etiam cum abusu alienare, *arg.* l. 2. *ff. si à par. quis* l. 7. C. *de Relig. & sumt.* l. 21. C. *mand.* §. 40. *Inst de R. D.*

18. CAUSA IMPULSIVA, *Respectu concedentis* ēst favor & beneplacitum superioris vel ejus qui gratiam concedere potis est. l. 3. *ff. de const. Princ.* l. 3. ff *de J. & J* studiū boni publici. *Nov.* 72 *pr.* l. *ult.* C. *de donat. inter vir. & ux.* ejusque utilitas ac necessitas. *c. necessaria, c. quoniam, c. tali,* 1. q. 7. & justitiæ temperata mitigatio. *c.* 9 & 10. *dist.* 45. *Respectu autem Rerum & Personarum impetrantium*, etiam publicum ac privatum commodum concernit, *tum* ratione indigentiæ ac commiserationis, *Auth. habita C. ne fil. pro pat.* l. *un.* C. *quand. Imp inter pers. miser.* l. 11. *de vacat. mun.* l. 5. *ff. de Iur. Immun* l. 12 C. *qui pot. in pign.* l. 2. C. *qui morb. se excus. tum* ratione dignitatis, muneris, & meriti in Rempublicam. l. 1. C. *de Assess.* l. 58. C. *de Decur.* l. 4. C. *de prox sacr. scrin.* l. 14. C. *de Advoc. divers. Iud.* l. 8. C. *de Metat.* t. t. C. *de Profess.* l. *un.* C. *de stud. lib. urb. Rom.* & ita vel motus proprius concedentis operatur. l 13 C. *de off. rect Prov. Nov.* 103. *pr. c.* 23. *x. de dign. & præb. in* 6. vel petitum implorantis l. 1 C *de pet. bon. subl. lib.* 10 quæ causa proximior solet esse, quia nemo solet impertiri officium suum nisi rogatus. l. 4 §. 8. *ff de damn. infect.* nec reluctanti sed ambienti beneficia conceduntur. l. 19. §. 2. *ff. de donat.* l 69. *ff. de R. I.* semper tamen impellendi vim, justa aliqua causa sustinere debet. l. 7.

ff. ex

ff.ex quib caus.maj.l.90 de R.J.*l.2.§ 5.ff de aqu. & aqu.pluv.arc.l.1.C.de petit.bon.* & tunc valida est & fructuosa Reipb. Gratia: Unde rectè monet *Cicer.de Off.* quod nô modò liberale sit paululùm à Jure suo discedere, sed interdum etiam fructuosum; Quisque enim non debet se proximo præbere acerrimum exactorem, sed cum efficaciâ benignum, & instantiâ humanum, quoniam inter insolentiam incuriosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest. *l.33.ff.de Usur.* itaquè non tantùm in privatorum commerciis, verùm etiam in publicâ legum administratione, sæpissimè à Regulis Juris est recedẽdũ. R.J *de anno* 1521.*tit.* Ordnung des Land-friedens. §. Wir setzen auch hindan. *&* R.J. *de anno* 1530. §. und nach dem wir. *l.30 ff.mand.l 4.§.fin.de re mil.l.51.§.1.ad L. Aquil. l.37. de reb. auth.Iud.poss l.4.C.de primip.l.14.16. C. de oper. publ.* præsertim si vel utilitas vel necessitas suadeat legum mitigationem. Necessitas enim legem non habet. l. 10.§ 1.*ff.comm.div.l.5 de Off.Proc. l.7.pr.de adm.tut.l.7.C.de fer*; & Utilitas publica multa permittit, quæ aliâs sunt interdicta. *Nov.7.c.9.§ oportet.l.21.C. de curs.publ. c 4. x. de immun. Eccles.* quapropter etiam utilitatis ac necessitatis causæ, sæpè adæquantur *c fin.de Eccl. ædif.clem 1.de reb.Eccles.non alien.* quæ enim ad publicam utilitatem, & privatorum concordiam facere videntur, potius sunt attendenda, quam ut per stricti iuris executionem, compages humanæ vitæ convellatur, omne enim quod per se videtur esse dissuadendum, utilitate publicâ sæpè rependitur.

19 Objectum est duplex *Cui*; & *Circa quod*: Illud sunt personæ quib. gratia venit exhibenda, atque adeò tam singulæ ac privatæ, quàm totæ universitates, quæ vel favore proximi vel superioris indigere possunt hîc continentur. Generaliter autem in omni gratiæ concessione curandum est, ne indignis illa conferatur, quemadmodum enim jura, ita etiam beneficia indignis non conceduntur. *l.3 §.14.de inoff.test.l.37.§.fin. de minor. l.51.de Re Iud.l.1.pr. de dol. mal* l.38.*de R.V.l.63.§.7.pro soc.* O P *de anno* 1548. *tit.* von verdorbenen Kauffleuten. *& de anno* 1573. §. so setzen ordnen und wollen wir. Unde supplices apud *Tacit* 1. *Ann.*44. Puniret noxios, ignosceret lapsis, rogant; Nam malè meriti, in quibus nulla melioris vitæ renitet spes, iure meritò potiùs in aliorum exemplum, ut à malo deterreantur puniri debent, quàm ut vel gratiam, vel misericordiam mereantur. *l.31.pr. depos. l. 6. in fin.ff. de cust & exhib.*

rtor. l. 1. pr. ad l. Iul. repet. delicta enim potius causantur beneficiorum amissionem, quàm gratiosam aliquam collationem. l. 1. C. ubi Senat. vel Clariss. l. 4. §. 2. ff. quod cum eo qui. hâc enim ratione, si delicta beneficiis foverentur, via aperiretur delinquendi, quod utique prohibitum est, quoniam malitiis non est indulgendum. l. 38. de R. V. l. 2. C. de indict. vid. toll. l. 1. C. de his qui ven. ætat. l. 13. ff. de off. præs. eò enim dum quis peccat, meretur correctionem, atque omnem ita gratiam excludit, Unde. Sen. 1. de Clem. 2. omnibus ignoscere tam crudelitas est quàm nulli. Quanta itaquè permissa est clementia Principis, tantus etiam permissus est favor subditorum ultrò citròq;. arg. l. 3. ff. de J. & J. præprimis itaque in gratiæ oblatione, quærendum est de personæ ambientis habilitate. arg. l. 4 ff. qui test. fac poss. l. 14. de Jur. Codicill. l. 3. in fin. C. de Episc. audi. publicè quidem interest, hominem hominis beneficio affici. l. 7. ff. de serv. export. modò nihil indigno congruat. c. 13. x. de testam. Morum tamen honestas, literarum scientia, innocens fama optimis argumentis approbata, si vitæ frugalioris accesserit ingenua promissio, facilè gratiam merētur, ni atrocitas obligationis obsit. c. 20. x. de Elect. & Elect. potest. c. tanta nequitia. 1. q. 7. vel urgens circumstantia juris mitigationem impediat, ac gratiam respuat. l. 2. C. de his q. ven. æt. impet.

20. Objectum circa quod, uti ex verbis definitionis apparet constitui triplex; (1.) Iuris acquisiti Relaxationem (2.) Constituti dispensationem (3.) violati remissionem: Quæ tria ut ratione actuum inter se differunt, ita & distinctā merentur delineationē; Primum est vel Permissivū vel Negativū: Illud latissimè patet, & non tantùm omnem gratiosam translationē dominii continet, seu donationē quāvis. l. 35. §. 1. de donat. mort. caus. l. 19. §. 2. l. 29. de donat. l. 82. de R. J. sed insuper omnem ferè obligationem, quæ vinculum Juris habet in materiâ civili transcendit. Quemadmodum enim obligationes quibus LL. civiles auxilium ferunt ab initio sunt voluntatis, ita postquam nexus intervenit, regulariter servandi necessitatem continent. l. 17. §. 3 Comm. l. 5. C. d. O. & A. l. 10. C. de pact. l. 1. C. de pact. conv. l. fin. C. de SCT. Vell. l. 6. C. de Rev. don. inde congruè definitur, quòd sit Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ pr. Inst. de Obl. necessitas enim præstationis ejus ad quod quis se obligavit, est effectus obligationis: Positâ enim obligatione tanquam

quàm causâ causante, ponitur actio tanquàm effectus. *c. 26. x. de Jur. Jur. c. 13 x. de pœn* l. 3. 41. 118. §. 1. *de V. O.* l. 21. ff. *quand. dies leg.* l. 213. *de V. S.* obligationes enim à ligando dicuntur dummodò efficacem producunt actionem; Unde olim per æs & libram, quod per nexum dicebant, contrahebantur, *Varro. lib. 6. de Ling. Lat.* Inde obligatio est mater actionis. *arg. l. 42. §. 2. de Procur.* & quàm citò nexus obligationis ultrò citroque est constrictus, non licet alterutri, mutare consilium in alterius detrimentum. *c. 33. de* R. J. *in 6.* nec illud quod semel placuit amplius potest displicere, in proximi incommodum. *c. 21. d. t.* itaq; post contractum obligationis vinculum, nulli parti licet alterâ invitâ ab obligatione discedere, aut libero pœnitendi arbitrio se purgare, quoniam ab initio liberum fuit non contrahere, utpote cùm liber consensus sit omnium contractuum communis forma. l. *57. de O. & A.* l. 1. §. 3. ff. *de pact.* quare sine contrahentis favore ac gratiâ, à contractu firmo discedere regulariter non licet, quoniam unumquodq; eâdem ratione debet dissolvi quâ est colligatum l. 35 153 *ff. de* R. J. Et hic nexus præstandi ita in æquitate naturæ fundatur, ut nec Principi ratione officii, liceat, in præjudicium tertii contrà proprium contractum agere. Quoniam obligationes ex contractibus orientes, maximâ sui parte sunt Juris naturalis. *l. 5.* ff. *de J. & J.* Et quamvis Principem ratione potestatis suæ solutum dixero legibus positivis. l. 31. ff. *de LL.* attamen tollere ea quæ sunt Juris naturalis, nefas ei sit, *arg.* §. *fin. Inst. de leg. agn. tut.* l. 8. *de capit. min.* in iis enim quæ naturalia sunt, æstimatur Princeps ut animal politicum communi utens ratione. l. *32. de* R. J. Et quoniam naturali æquitati nihil magis convenit, quàm ea quæ placuerunt servare, quoniam fidem fallere admodum grave est. l. 1. *de pact. c. 1. x. eod.* l. 1. ff. *de const. prin.* l. 11. §. 1. ff. *de act. emt.* illud præsertim homini Principi eleganter quadrat, quippe cujus fides præ cæteris inviolabilis est servanda. l. 5. §. 1. *de pact.* l. *fin.* C. *de locat. præd. lib.* 11 quoniam turpissimum facinus est, sub authoritate principis velle aliquem decipere. l. 14. C. *de omni agr. desert. lib.* 11 l. 1. *in fin.* C. *de his qui ven. ær. impet.* l. 8. C. *de Episc. & Cler. c. 6. x. de homic.* nam fraus in Principe fœdior est quàm violentia: quò elegans referendum est responsum *Carol. V.* dicentis, se fidem servaturum, quamvis in toto orbe exularet. *Bodin. de Repb. lib. 5. c. 6.* nihil enim magis in principe scintillat quàm igniculi fidei virtu-

tis

tis amore excitati. l. *inter Clar. u.* C. *de summ. Trin.* ex principali enim dignitate nullus decipiendi occasionem captare debet. l. 91. *de hered. instit.* Et insuper magna meæ positionis ratio inde profluit Quod si Princeps proprio arbitrio ac voluntate à contractu legibus approbato discedere vellet, nemo cum eo facilè contraheret, atq; ita ipse Princeps quà Princeps, sibi esset contrarius, dum hominum consortio se eximeret, & commercia publica impediret, quorum liber cursus ne sistatur, publicè refert. *t. t.* ff. *ad L. Iul. de annon.* l. 5. §. 3. *d. Iur. immun.* l. 2. *de Nundin.* quapropter cum contractus sint ex genere correlativorum. l. 19. *de V. S.* à neutrâ parte claudicare debent, sed utriusq; eadem debet esse ratio. l. *fin. de accept.* & Principi obiici potest tritum illud: *Patere legem quam ipse tulisti.* l. 1. ff. *quod quisq; Iur.*

21. Et Quoniam Princeps proprios contractus servare tenetur, inde infallibiliter concludo, multò minùs eum posse aliquem ab obligatione liberare, in præjudicium tertii: Postquam enim rerum dominia, sunt distincta, l. 5 *de Iust. & Iur.* l. 3. C. *de rescind vend* & Meum & Tuum esse cœpit i. e. singulorum arbitrio res sunt subjectæ, l. 91. *de V. S.* l. 7, 8. 73. ff. *de leg.* 3 nihil sibi in privatorum legitimis commerciis juris tribuat; Quippe cum nec rescribere aliquid Princeps velle præsumatur, nisi quod Jura volunt l. 35. C. *de in[illegible] test.* §. *fin. Inst. quib. mod. test. infirm.* l. 8. *de prær. stip.* l. 2. §. 10. ff. *ne quid in loc. publ.* l. *fin* C. *de div. rescript. t. t.* C. *de Prec. Imp. offer.* Quamvis equidem Imperatori continuò pro Reipb. salute excubanti plura permittantur, quæ ab aliis inferioribus fieri prohibentur. l 27 ff. *de pœn.* l. 1 §. *quæstioni* § *fin.* ff. *de quæst.* attamen privatorum conventiones subvertere, & in eorum iura grassari, ipsi non permittitur, nisi forte publica utilitas vel necessitas, quæ magnum infirmitatis humanæ præstat patrocinium, l. *un* § 14. C. *de Caduc. toll.* aliquid faciendum præter scriptum Jus suadeat: Tunc enim Princeps, quamvis totum Jus subditi tollere non possit, tamen illud ita temperare potest ac limitare, ut privatorum jura tempori aptentur. Eò pertinent moratoriæ dilationes, seu literæ quinquennales, Germ: Quinquennel oder Anstands Brieffe/ quæ causâ cognitâ debitoribus, non culpâ, sed casu lapsis, conceduntur authoritate superioris, ut intra certùm tempus, debiti executio creditori inhibeatur; Quod gratiæ genus, quia maximâ

socie-

ſocietatis civilis continet utilitatem, ita non tantùm Jure Civili. *t.t.* C.*de prec.Imper.off.*l.*fin.*C.*qui bon.ced.poſſ.Nov.*4.*c.*3.*Nov.*135.*c.* 1. & Canonico.*c.reſcripta* 25.*q.*2.ſed etiam modernis Imperii Conſtitutionibus obſervatur.*O.P.de anno* 1548.*tit.* von verdorbenen Kauffleuten/*O.P.reformata.de anno* 1577.*tit.*23. & ita etiam ſecundùm Inſtrumentum Pacis in præteritis Comitiis Ratiſponenſib. Proceres Imperii conſultârunt, quâ ratione infelices debitores longinquis bellorum motibus,& caſibus fatalibus ære alieno gravati,à durâ paupertate liberentur.

22. Aliâs communiter verum eſt quòd nemo invitus teneatur à Jure ſuo diſcedere, aut nolens alicui gratiam facere, quippe quod eſſet injuriæ proximum.*arg.*l.11.14. C. *de contrah.emt.* l.9.ff.*rer.amot.* Quòd autem volens quis poſſit juri ſuo renunciare ac alteri gratiam facere,non meretur dubium. *arg.t.t.C.ut nem. invit.ager.vel ac.*l.42.*de R.I.Nov.*136.*c.*1.l.*pen.* C. *d. pact.* l. 41. *de minor.* etiam cum abuſu ſui patrimonii.l.25.§.11.*de pet.her.*l.7.C.*de relig.& ſumt.fun.*quoniam volenti ac conſentienti non fit injuria nec dolus.*l.*1.§.5.*de injur.*l.145.*de R.I.c.*28.*eod. in* 6. Nam ut quiſq; eſt ſuarum rerum Dominus ac Arbiter l. 21. C. *mand.* ita etiam dominii ſui poteſtate liberè ſe privare poteſt, ac alteri gratiam aliquam exhibere,atq; dum ſemel ſuo renunciavit Juri, deinceps eodem uti nequit.*c.*3. 4. *de reſt.ſpol.* in illud enim quod meum eſt liberè poſſum agere,niſi quid Jure prohibeatur. l. 26.*de damn. inf.*l.8.C. *de ſerv.*l.1 §.12.*de aqv.pluv.arc.*l.29.§.1.*ad L. Aquil.* Omnis enim res per quaſcunque cauſas contrahitur, per eaſdem etiam diſſolvitur *l.*153. *de* R.I.& de utriuſque diſſenſu quin obligationes tollantur,non poteſt eſſe dubium.l.2.*pr.*l.5.§.1.ff.*de reſcind.vend.*l.1.2.*C.qn. lic.ab emt.rec.l.*80.*de ſolut.*§ *ult.Inſt.quib.m. toll. oblig.* de unius autem diſſenſu,probabilior oritur difficultas, Verùm quoniam utriuſq; diſſenſus tollit obligationis effectum, indè formaliter ſequitur, quòd unius voluntas quatenus Juri ſuo renunciat, idem operetur.l.7 §.6.l.27 §.2.l.58.*de pact.*l.72.*de contrah. emt.* Imò ſi res adhuc ſit integra,nempe ante contractus conſummationem, etiam nudum pactum ſufficit.l.35.100.*de* R.I.l.58 *de pact.* dum enim nihil eſt præſtitum,nudum pactum adverſus agentem producit efficacem exceptionem.l.2 *de Excep.*& ſi contractus ſolo conſenſu, ſine rei interventu ſubſiſtat,tunc nudum pactum effectũ ejus impediendi

 facultatem

tatem habet. *d.* l. 7 §. 6 *de pact.* l. 80. *in fin. de solut.* quoniam debitor quis esse desinit, dum justam accipit exceptionem. l. 66. *de* R. J. nec interest, hoc respectu ipso Jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. l. 112. *d. t.* l. 12. *de dol. mal. & met. except.*

23. Sunt tamen quidam contractus in quibus etiam alterâ parte invita alteri licet discedere, nec ullam gratiam alterutrius desiderant: Quò præprimis pertinet contractus innominatus, qui oritur ex conventione quæ habet causam i. e. actualem rei dationem vel factum. l. 5. § 1. *de præscript. verb.* sine certo ac determinato nomine. l. 7 § 1. *de pact.* l. 21. *de præscript.* quoniam enim ex hoc contractu non priùs oritur efficax obligatio, quàm si res tradita, aut factum invicem præstitum sit. l. 3. C. *de Rer. Perm.* ideò ex nudo consensu absque stipulatione, hìc utrinque non nascitur obligatio, *d l.* 3. l. *fin. C. de rer. perm.* l. 7 *pr.* § 4 5 6. 12. l. 27. §. 2. 5. 6. ff. *de pact.* l. 8. l. 15. *de præscript. verb*; Ita is quidem qui præstandum præstat, accipientem nexu firmò sibi astringit quia dando dominium in eum transfert. l. 5. 6. 7. C. *de Rer. perm.* ipse autem pœnitere adhuc potest atque re nondum secutâ, ab illo contractu sine gratiosâ accipientis remissione discedere. l. 3. §. 2. l. 16. *de condict. caus. dat.* quoniam hìc nulla nata est præstandi astrictio, antequã accipiendo se obligavit, itaque dans sibi obligavit accipientem, non autem contra. l. 5. *de condict. caus. dat.* quare dans contra accipientem agere potest, ad id quod interest fidem contractus impleri. l. 1. §. 2. l. 5. *pr.* l. 1. 2 4. l. 7. 8. *de præscript. verb.* l. 33. C. *de transact.*

24. In SOCIETATIS etiam contractu speciale est, dum in eo sine gratiâ ac consensu socii licet pœnitere, modò tempestivè & sine fraude fiat. § 4. *Inst. de societ.* l. 14. *& seqq.* l. 6 . *pr.* §. 3. ff *l.* 5. C. *eod.* ita ut sine fraude ac dolo renuncians, nec ad interesse à socio possit conveniri, quamvis societas in perpetuum sit contracta. *arg.* l. 1 *junct l* 14. *cum seqq* l. 70. *d. t.* Communio enim præterquam quòd varia habet incommoda, permultas parit discordias. l. 26. §. 4. *de condict. indeb.* l. 14 § 2. l. 28. ff. *commun. divid* l. 77. §. 20. *de leg.* 2. l. 26. ff *d. S. P. U.* l. 34. § 2. C. *d. donat* Ratio autem cur in hoc contractu semper licitum sit voluntatem mutare, hæc est: quia semper res intelligitur manere integra, aliter ut in aliis contractibus, qui non sunt permanentes, sed uno actu perficiuntur; Hìc enim

quisq;

quisq; pro parte in societatem collatâ, semper manet Dominus. quoniam ipsa res societatis non tàm communicatur, quàm lucrũ inde redactum. l. 13. ff. *de præscript. verb.* l. 25. §. 6. ff. *locat.* l. 52. §. 2. ff. *pro soc.* In MANDATO etiam sæpè liber conceditur discessus, & quidem à parte mandantis nulla esse potest dubitatio, quin mandatum revocare possit, antequam mandatarii interesse cæperit. l. 8. §. 6 l. 12. §. 2. ff. § 7. *Inst. mand.* Quod etiam in DEPOSITO certum est, à parte deponentis. l. 1. §. *antep. & pen.* ff. *Depos.* quamvis in factâ depositione aliquod certum tempus fuerit determinatum, tunc antè terminum deponenti permittitur revocatio rei depositæ; Depositarius enim recusans rem deponenti & reposcenti restituere, in dolo versaretur. l. 11. C. l. 1. §. 22. l. 15. *in fin. pr.* ff. *depos.* quoniam depositarii ac mandatarii nulla censetur inde oriri utilitas, quòd diutius mandatum aut depositum sustineant, cum onera ultrò ambire nullus censeatur. Mandati contractus verò cùm sit consensualis. *arg.* §. *un. Inst. de Obl. quæ ex cons.* ideoque videtur ex naturâ consensualium contractuum dicendum, quod à parte mandatarii confestim ac consensus intervenit, oriatur actio, vel ad implendum promissum, vel ad præstandum interesse. *arg.* l. 3. ff. *de O. & A.* nam cùm alii contractus præter formam communem, quæ est consensus, Rem, vel Verba requirant. *arg.* §. 2. *Inst. de Obl. t. t. Inst. quib. m. re cont. obl.* l. 5. §. 1. *& seqq. de præscript. verb.* l. 1. § 1. l. 52. *de O. & A. t. t. de V. O.* tamen contractus consensuales ex interposito consensu ad producendam actionem sunt validi: Quod tamen in mandato speciale est, in quo mandatarius, si res adhuc sit integra, libere renunciare potest, nec gratiam remittendi à mandante petere necesse habet. *Paul. 2. sent.* 15. l. 22. §. *fin.* l. 28. §. 2. ff. §. 9. *Inst. mandat.* Nisi fortè mandantis intuitu intempestiva illa fuerit renunciatio, tunc enim ad interesse tenetur, nisi propter justam causam se excusare posset, l. 27. §. 2. l. 23. 25. ff. *mand.* nunquam etiam mandatarius præcisè ad faciendum seu implendum mandatum cogi potest sed præstando interesse liberatur. *arg.* l. 13. §. 1. *de re jud.* l. 72. *de V. O.* factum enim civis Romani exigere incivile est, & servitutis umbram continet. *l. 71. §. 2. de cond. & demonst.* l. 2. *de lib. hom. exhib. l. pen.* ff. *si quis à par. manum.*

25 In Emtione venditione maximus est DD. conflictus an ex eâdem perfectâ, liceat alteri parti invitâ alterâ discedere;

Et hoc non pauci affirmant, qui vel arrharum amissionem, aut restitutionem præsupponunt, *arg. pr. Inst. de emt. vend.* Verùm contrarium ex legibus ac rationibus firmius est concludendum: Quod nempe sine gratiâ ac relaxatione partis alterutrius, ab eo contractu resilire neuter possit. l. 11. §. 2. *de act. emt.* l. 3. 6. 7. C. *de rescind. vend.* sed vel præstare id quòd convenit, vel si hoc fieri non possit, ad interesse teneatur. l. 2. C. *qn. licet ab emt. reced.* § 2. *Inst. de donat.* quoniam expediti Juris est quòd à contractu perfecto non audiatur unius partis pœnitentia, si jam alterius interesse vertatur. l. 12. *in fin. C. de contrah. emt.* l. 12. C. *de* R. *V.* l. 1. 2. *C. qn. licet ab. emt.* dum enim arrhæ dantur in signum & confirmationem contractus. *d. pr. Inst. de* Emt. l. 35. ff *de contrah. emt.* non debét contrarium operari. Ne autem dubium facessat, *d. pr.* rationis est ut illud ex l. 17. C. *de fid. Instrum.* explicetur; Ut nempe non denotet emtionem perfectam, sed perficiendam; Antequam enim aliquid desideratur ad contractus perfectionem, quin ab eodem liceat discedere arrrharum amissione vel restitutione dubium non est. *d.* l. 17. Idem judicium esto in contractu locati conducti, quoniam ferè ejusdem Juris regulis sustinetur *pr. Inst. locat.* quòd nempè sine gratiâ alterius in his contractibus etiam non sit locus pœnitentiæ. l. 55. §. *fin.* ff. *locat.* hi enim contractus, nisi causa subsit, ne quidem rescripto Principis rescindi possunt. l. 3. 5. C. *de rescind. vend. l.* 12. C. *de* R. *V.* In contractu tamen locati ulteriùs hoc receptum est, ut si casu fortuito reditus in prædio locato sint deperditi, & conductor omnem casum in se non receperit, nec mos regionis illud suadeat, tunc debitæ pensionis remissione locator facere teneatur. l. 13. § 2. 4. 7. l. 25 § 6. ff. *locat* l. 8. 18. C *eod. c.* 3. *x. d. t.* Idem de emphyteuticario dicendum, si rei emphyteuticariæ tale accidat damnum fatale, ut eâdem planè uti non possit, v. c. si propter bellum Emphyteusin ingredi nō possit, canonem solvere non teneatur. l. 1. *vers. siquidem.* C. *de* Jur. *Emph.* § 3 *Inst. locat.* quia dominium tunc non videtur durare. l. 12. § *f* ff. *de reb. auth.* Jud. *poss.* l 10. §. 1. ff. *de per. & comm. rei vend.* In annuis tamen reditibus, qui ex censu constitutivo, interveniente nempe communiter contractu emtionis venditionis, debentur, potest venditor solutione pecuniæ acceptæ se liberare, & sine gratiâ ac remissione emtoris ab annuâ illâ præstatione discedere. O. P. *de anno* 1500. *tit.* von wucherlichen *contracten. de anno* 1530

d. t.

d.t.de anno 1548. *&* 1577. *d. t.* nec pacta in contrarium adjecta illud impediunt; Quia leges publicam concernentes Imperii utilitatē, vagæ privatorum censuræ non subjacent. l. 5. *C. de LL.* l. 45. *de* R J. l. 38. *de pact.* l. 27. *ad L. Falc.* nec Jurata renunciatio quæ publico Juri fraudi est, tales annuos reditus redimibiles facere potest irredimibiles.

26 Et quamvis liceat contrahentibus, ne negotiationes impediantur, aut Judicia minutissimis controversiis frequenter scateant contrà. l. 13. *C. de Iud.* l. *fin. ff. pro suo.* l. 2. *C. de re Iud.* l. 11. *C. de R. C.* naturaliter *i. e.* ex re ipsâ, seu facto, citra personalem deceptionem, se circumvenire inter contrahendum. l. 16. §. *pen. de min.* l. 22. §. *fin.* l. 23. *ff. locat. Nov.* 97. *c.* 1. ita ut propter damnum minimum sine dolo illatum, contractus alterâ parte invitâ non rescindatur: Attamen, si ex dolosâ contrahentis dissimulatione aliquis fuerit circumventus. l. 1. §. 2. *de dol. mal.* l. 35. §. *fin.* l. 43. §. *fin.* l. 57. § 1. 2. *de contrah. emt.* certè invito contrahente, dolo læsus à contractu discedere potest. *d.* l. 25. §. *fin. ff. de contrah. emt.* nam si dolus causam dederit contractui; i. e. circa initium contractus adhibitus sit, eum qui b. f. est, reddit ipso Jure nullum. l. 1. 7. *pr. de dol. mal. l.* 16. §. 1. *de min.* l. 3. §. *fin. pro soc.* si autem stricti Juris contractibus causam dederit, vel in quemvis contractum inciderit, postquam jamdum quis contraxit, dolus actione ex contractu purgatur, subsistente contractu, l. 22. 36. *de V. O.* l. 5. *C. de inut. stip.* l. 43. §. *fin. de cont. emt.* l. 7. §. 3. *l.* 9. *pr. l.* 18. §. 3 *de dol. mal. l.* 8. § *fin. mand.* l. 1. §. 2. *de pign. act.* l. 13. §. 4. 5. *d. act. emt.* l. 18. §. 3. *commod.* Ratio diversitatis esse videtur, quòd in stricti Juris contractib. similis æquitas nō spectetur, quàm quæ in cōtractibus bonæ fidei summè desideratur. *l.* 99. *ff. de V. O.* l. 7. *ff. de Neg. gest.* l. 31. *ff. depos.* l. 5. *C. de resc. vend.* Dolus autē iste nō æstimatur ex quantitate pretii, sed ex qualitate facti, i. e. ex calliditate & insidiis circūvenientis, l. 8. 10. 11 *C. de resc. vend.* itaque deceptio illa conjuncta esse debet cum in excusabili calliditate decipiendi l. 7. §. *fin. de dol. mal.* Dolus autem hîc qui ex re oritur, etiam per actiones prætorias sæpè tollitur, ut habemus Ædilitium Edictum, quo emtoribus & permutatoribus succurritur, ut rem vitiosam venditam aut permutatā (modò non sit vilis aut exigua, l. 48. §. *fin. ff. de Ædil. Edict.* l. 54. *ff. de contrah. emt.*) teneantur cum refusione interesse redhibere, l. 22. 23 27. 29. *d. t.* vel quantò minoris emtor sciens

fuisset emturus eidem restituere, l. 61. *d. t.* Imò in Emtione venditione etiam Principum constitutiones venditori provident, l. 2. C. *de rescind. vend.* ut si is ultrà dimidium justi pretii sit læsus, tunc emtor vel tenetur supplere justum pretium, vel recepto pretio rem restituere. Quam provisionem quidam DD. etiam emtori, ac aliis bonæ f. contractibus tribuunt, ut nempè præsupposito casu, aliquis sine gratiâ à contractu possit resilire; Verùm hoc potiùs ex æquitatis interpretatione videtur esse dijudicandum, quàm ex sententiâ legislatoris, aut dictæ legis, Quoniam ejus decidendi ratio, tantùm favorem venditorum respicit, qui sæpe necessitate cogente, non tam sponte quàm invitè videntur res suas vendere, in emtore autem talis necessitatis ratio rarius obtinet: quamvis enim aliquem necessitas impellat ad emendum, attamen non statim ad cariùs emendum:

27. Ulteriùs obligationes invitè contractæ, utpote quæ vel ex Vi, Metu, aut Justo errore sunt ortæ, non indigent obligantis gratiâ ut resolvantur. Per vim metumvè enim quicquid gestum erit, i. e. inferentis atroci volũtate. l. 9. C. *quod met. caus.* & potestate. l. 7. *d. t.* si nobis damnum in re familiari datum sit. l. 12. §. *pen. ff. d. t.* sive per alienationem, liberationem, aut promissionem. l. 9. §. 3. *d. t.* edicit Prætor se illud ratum non habiturum. l. 1. ff *d. t.* itaque vel dat actionem vel exceptionem, unde duo sunt tituli *in ff. lib.* 4. *& lib.* 44. Quando autem vi metuvè, aliquis majoris mali evitandi causâ quicquam dat, promittit, vel remittit, quoniam tunc principium & motus agendi non est extrinsecùs, sed in ipso agente, non quidem talis actio absolutè violenta erit dicenda, sed secundùm quid, quia similior est illi actioni quæ libenter fit, ut differit *Arist.* 3. *Eth.* 1. Unde DD. concludunt, quòd coacta voluntas, sit etiam voluntas. l. 21. §. 5. ff. *quod met. caus.* indè quoque mero jure, contractus talis subsistit, quoniam cõtrahentium fulcitur consensu. l. 3. l. 9. §. 3. ff. *d. t.* & quia necessitas quædã voluntatem ad agendum impulit, voluntati autem nihil magis contrariatur, quàm vis metusve. *l.* 116. *de* R. J. Inde Prætor vel veterem actionem metu passo restituit. l. 1. 2. *de restit. in integr. d. l.* 9. § 3. *& seqq.* ff. *quod met. caus.* vel actionem vel exceptionem quod metus causâ concedit. *d.* l. 9. §. 3. l. 10. ff *d. t.* l. 4. §. *pen. & ult.* l. 15. *pr.* ff *de dol. mal. & met. except.* ergo nec tunc gratiam metum inferentis debitor implorare

plorare tenetur, quoniam in necessitatibus nemo cum effectu liberalis existit. l. 18. ff. *de adim. leg.* Quò etiam refertur dolosa persuasio, quæ non tantùm æquale, verum sæpe plus operatur quàm violenta coactio. l. 3 §. 5 ff. *de lib. hom exhib.* l. 1 §. 3. *de serv corr.* l. *un.* §. 2. C. *de rapt. virg.* l. 5. C. *de Apostat.* Jam de Obligationibus errore vel ignorantià contractis videndum, quoniam enim consensus omnium obligationum communis formâ est. l. 57. *de O. & A.* error ei contrariatur, quia omnem consensum excludit, dum discretionem Judicii invertit, ac actum intellectus tollit. l. 4. §. *fin.* ff. *si quis caut* l. 15. ff. *de Iurisd.* inde qui errans agit, non censetur agere, aut actum convalidare posse. l. 116. §. 2. *de* R. J. quare contractus quos error copulavit, communiter equidem non valent. l. 22. *de V. O. l.* 18. ff. *de* R. C. l. 31. ff. *de A. R. D.* interim tamen distinguendum: Si error fuerit circa personam contractus, tunc utique contractum vitiat. l. 9. *pr. de hered. Inst.* l. 4 C. *eod.* etiamsi matrimonium sit contractum. *c. 29 q. 1. in fin.* nec *Gen.* 22. *vers.* 25. Isaac potuisset cogi à Labane ut Leam retinuisset. Si autem circa rem, tunc certò error nominis si constet de corpore, non nocet. l. 22. 32. *de V. O l.* 4. ff. *de leg* 1. l. 34. *de A. P.* l 80 *de* Iud. l. 5 § *fin. de* R. V. §. 29. *Inst. de leg.* Si autem totius rei, pretii, aut sexus, l 9. ff. *de contrah. emt.* l. 57. ff. *de O & A.* certè officit contractus perfectioni. l. 9 *pr. de contrah. emt.* Si partialis fuerit, & tamen rei essentiam concernat, emtio venditio quidem non valet. l. 9 § 2. l 14. *d. t.* pignus tamen sustinetur. l. 1. §. *fin. de pign. act.* Si verò accidentis error fuerit, is ut varius est, ita etiam non potest in thesi definiri, communiter tamen non vitiat contractũ. *arg.* l. 11. §. 1 *de contrah. emt.* cui non obstat. *l.* 11. §. 5. *de act. Emt.* quia ibi agitur de dolo vendentis, qui bonæ fidei judicio est contrarius, nam quatenꝰ vendens vitiũ scivit aut ignoravit modò tenetur ad interesse, modò in simplum *l* 13. ff *de act. emt.* In matrimonio tamẽ si quis fœminam, probabiliter vitiatam quam virginem sibi desponsatam credidit duxerit, à matrimonii vinculo resilire potest. *Deut* 22. *v.* 21. l. 3. *pr.* l. *pen. ad SC* t. *Maced. Nov. Leon.* 93. l. 9. *pr. de Iur. & fact. ignor.* aliter itaq; hoc credamus, quàm statuit Gratianus in. *c.* 29. *q.* 1. *in fin.* quia vera sponsalia esse non possunt, in quibus nihil genuinum neq; verum conspicitur, sed meretricium se offert scelus. *d. Nov.* 93. Ab ignorante tamen maximè adhuc differt, qui ignoranter agit, qualis is esse censetur, qui summâ ebrietate cor-

reptus

reptus mente orbatus esse videtur, ille enim furioso comparatur. l.1.C. *si quis Imper. maled.* nec ex deliberato animo quicquam facere potest. *c. sane. c. inebriaverunt.* 15. *q.* 1. l. 3. §. 1. 2. *de injur.* ideò nec efficaciter consentire potest. l. 6. §. 7. *de re mil.* quapropter nec contrahere, nec disponere potis erit, *c. sane,* 5. *q.* 1. præsertim si tantâ ebrietate obrutus sit, quæ exilium mentis inducere videatur, idcircò nullatenùs ejus obligationis gratiam implorare debet quàm summâ ebrietate contraxit, quoniam mente ac voluntate destitutus esse judicatur, dummodò nihil fraudis subsit.

28. Jam circà primum objecti membrum, considerandum est Objectum negativum, pòstquàm enim *thesi* 17. statui, unumquemq; posse juri suo renunciare, ac inde proximo suo gratiam facere, eo sensu illud intellectum volo quatenùs contrà leges non procedit; Quæ enim sunt contrà leges, bonos mores, ac in tertii vergunt præjudicium, illa nec facere nos posse credendum est. l. 5. C. *de LL.* l. 15. ff. *de condit. instit.* quamvis enim sæpissimè consensus partium, qui actibus civilibus solet legem dare. l. 23. ff. *de* R. J. à communi jure declinandum suadeat. *Nov.* 90. *c.* 8. attamen nullâ ratione id licet in fraudem tertii, utpote cui jus quæsitum aufferri nequit, l. 11. *de R. I.* l. 8. *de aqv. & aqv. pluv. arc.* l. 10. §. *fin. de bon. poss. contr. tabul.* de alieno enim largiri nemo potest. l. 83. *de V. O.* 1. F. 10. quoniam furti species esse dicitur ex alieno beneficii debitorem acquirere. l. 54 §. 1. *de furt.* vel detrimentum Juris publici. l. 45. §. 1. *de* R. J. l. 38. ff. *de pact.* R. J. *de anno* 1577. *tit.* 17. § wiewohl / quapropter liber homo in omnibus quidem habet voluntatem, & liberum consensum, nisi vel Jure, lege, aut à Principe prohibeatur. *l.* 4. *de stat. hom. l.* 19. §. 2. *de neg. gest.* l. 4. C. *de Emanc. liber.* Itaque filius familias renuuciare SCTO Macedoniano non potest, quoniam illud constitutum est, partim in publicam utilitatem, partim in parentum favorem, quia interest ne filiif. tanquam rerumpublicarum seminaria corrumpantur, *arg. Nov.* 140. *pr.* ut parentum facultates consumant, ac eorum vitæ insidientur. § 7. *Inst. quod cum eo qui.* l. 1. ff. *de SCT. Maced.* l. 14. §. 1: *de serv. corr.* Ita nec Juramentũ calumniæ pars parti expresè remittere potest, ne Jus pro utilitate communi constitutum defraudetur. l. 2. §. 4. C. *de Iur. calumn.* In aliis tamen juramentis liberior voluntas partium est, utpote cùm iisdem renunciare ac contrariæ parti gratiam facere, cuivis sit li-

sit liberum, nisi quis specialiter prohibeatur. *l.5.§.fin.* l.9.§.1.*de Iur. Iur.*l.33.*d.t.*l.8.*C.eod.*Nimis autem ad superstitionem religiosi esse videntur, qui Juramenti relaxationem tantùm à Deo fieri posse contendunt, nam si hoc absolutè sentiant, cum JCto Celso ex l.27.ff.*qui testam.fac.poss.*respondendum videtur: quòd dubitationē non intelligam, vel quòd eadem validè stulta sit; Nam quamvis hodiè juretur per Deum & SS. Evangelium. *O.C.p.1.c.57.& seqq.* atqui ita non observans Jusjurandum se gratiâ misericordissimi Dei & æternâ salute indignum iudicet. *c. ille qui hominem.22.q.5. Rom.1.vers.16.1.Cor.1.vers.*18.quia omne Jusjurandum, quod citra dispendium æternæ salutis servari potest, est servandum. *c.28.x. de Jur Jur.*quod etiā Ethnici agnoverunt, unde Tiberius apud *Tacit.1. Ann.* 73. Jusjurandum perinde æstimandum quàm si Jovem fefellisset; Deorum injurias Diis curæ esse. Tamen inde non sequitur si relativè cum objecto Jusjurandum consideraverimus, quòd semper absolutè includat necessitatem præstandi, nam hoc tantùm dicendum est secundum quid; Et ut pro diversitate objecti varium est Juramentum, ita etiam diversimodè includit necessitatem servandi, semper enim hanc recipit interpretationem: si res in eodem statu permanserit. l.*fin.* ff *ad Municip. c.2 x. de renunc.* l.8.ff.*de cond.ob.caus.dat.*l.38.ff.*de solut*, idcircò extensio Juramenti quia accessorium respicit principalis actus *c.25.de præb.* l.5. C. *de LL.*non ulteriùs extenditur, quàm ipse actus cui adjicitur, quippe cùm ejusdem conditionem tacitè includat. l.30.*de oper.libert.*§.2.*Inst.de V.O.c.Quintavallis. x.de Iur. Iur.* itaque cùm de juramento promissorio agatur, non est dubitandum, quin creditor etiam non impleto promisso, debitorē absolvere possit, atq; ita obligationi ac Juramento gratiam facere, quoniam Juramentum secundùm actum principalem regulatur.l.*fin.* C. *de non num. pec.l.fin.qui satisd.cog.c.quemadmodum.x. de* J.J qui si remittatur etiam ipsum Juramentum interit. Sufficit enim ut jurans id præstiterit quod potuit, aut adversario volente debuit, cui liberum est exigere, vel remittere debitum.l.29.C *l.46.*ff.*de pact.*& hoc in causis civilibus omninò obtinet, si utriusque voluntate separatio facta sit.2. F 76. Itaq; etiam Imperatores potuerunt à certo Juramento absolvere.l.*fin.*ff *ad Munic.*l.*fin. de re mil.*l. *ult. qui satisd.cog.* & hodiè etiā Camera Imperialis O.C.*p.2.tit.*24.Imò Status Imperii

vigore Juris territorialis, & quivis qui in aliquem Jus jurato confirmatum exequi potest, si causam civilem respiciat, idem illud possunt, Si autem spiritualem contineat causam Juramentum omninò factum promissum est implendum. *Num.* 30. *Ios.* 9. *Matth.* 5. & ita dissentientium opinioni consentiendum.

29 In Testamentis etiam ordinandis testator cautè progredi tenetur, ne proprio arbitrio aliquod cōficiat, sed ut requisita Juris observet, testamenti enim factio Juris publici est, l 3. ff. *qui test. fac. poss.* unde tritum illud Jctorum obtinet; Nemo efficere potest quo minùs LL. in suo testamento obtineant. l. 55. *de leg.* 1. Nov. 48. *pr. arg.* l 5. §. 1 *de pact.* quare nec ex prætorio, nec solenni jure, quatenus publicum, respicit interesse, quisquā aliquid mutare potest. l. 27. *de* R J. Ita etiam cùm in publicum bonum constitutum sit, ne donatio inter virum & uxorem subsistat. l. 3. §. 10 ff *de donat. inter vir. & ux.* ne conjugalis concordia pretio concilietur, in quo non tantùm turpitudo versatur, verùm etiam publica labes morum, dum mutuo amore bonis spoliantur, donationibus non temperantes. l 1. *d t.* quapropter etiam pactum, ne donatum repetatur, est invalidum, quoniam publicum Jus inde infirmatur. l. 5. *de pact. dotal* Nec obstat generale axioma ex l. 1. §. 5. *de injur.* c. 27. *de* R. J. *in* 6. deductum: Volenti non fit injuria; Hoc enim semper ita intelligitur, ne simul cum privatorum voluntate, legum authoritas vilescat, aut Reipb. bonum invertatur; Unde etiam Juris est, quod si quis viduam, vel virginem etiam volentem, matrimonii vel libidinis explendæ causâ rapuerit, capite puniatur, l. *un.* §. 2. C. *de rapt. virg. Const. crim. art.* 118. Nov. 150. In fraudem etiam creditorum nemo de bonis suis gratiam cuipiam facere potest, is enim ad quem ex titulo lucrativo aliquid pervenit, sivè sciverit, sivè ignoraverit creditores eo fraudari, illud restituere tenetur, l. 6. §. 11. 13. *l.* 17 §. 1. ff. *quæ in fraud. cred. fact* l. *ult.* C. *de rev. iis quæ in fra.* vel si res non ampliùs extet, quam accepit, in quantum factus est locupletior reddere; Quoniam enim hic certat de lucro captādo, creditores autem de damno vitando, lucrum eidem extorquendum est, *d l* 6 § 11. lucrum enim faciliùs impeditur, quàm ut damnum inferatur. l. *fin.* C. *de Codicill* l. 3 *ff.* l. 3. C. *de Iur. & fact. ign.* In feudali etiam re cessat vasalli volentis de eâdem testari gratia, Testamentaria enim dispositio locum in feudis non habet. 1. F. 8. *in fin. pr.* *junct.*

junct l.32.*pr* ff. *de hered.instit*. Quia omnis feudi alienatio est prohibita. 2.F.52.55. testamentaria autem dispositio utiq; alienationem complectitur.l.8.§.2.C.*de secund.nupt*. quæ in illis rebus, alicui demum libera conceditur, si non aliunde, quàm ex testatoris bonis propriis proveniat,l.14.ff.*ad L.falc*.l.6.§.1.*de leg*.2. Feudum autem ratione primi concedentis & acquirentis,ad heredes devolvitur. *arg*.2.F.23.1.F.14.§.*si capitanei*, quoniam autem nemo tertio potest præjudicare.l.11.ff.*de* R.J.l.55.*de leg*.1. etiam vasallus huic regulæ subjacet, hic enim præjudicaret Seniori: dum illi invito vasallum obtruderet. Et Agnatis, quia iis à primo acquirente jus quæsitum aufferret; Itaq; sine illius,& horum consensu, omni testandi facultaté destituitur.2.F.39.1.F.5. In tantùm ut nec pater inter filios alteri possit feudum assignare,nisi sit absolutè hereditarium. 2.F.48.2.F.26.§ *feudum*, imò si feudum fuerit Regale, nec illud dividere possit vasallus,2.F.55.§.*præterea*. A quà tamen consuetudine hodiè,in multis Imperii principatibus est recessum, Quare Electores Imperii seculares vigore A.B.c.7.& 24.specialiter ab hâc consuetudine, juri feudorum contrariâ, eximuntur. Verum cum infinitum foret omnes res considerare, quæ gratiæ non subjacent, Cuivis jam jam patebit quod aliæ res lege,aliæ à Magistratu,aliæ partium conventione, aliæ autem ultimâ voluntate tutæ sint ab alienatione,*arg*.l.*ult* C.*de reb.alien.non alien*. *l*. 10.*ff*. *de curat.furios*. l.6.ff.*de V*.O.inde cuivis facile erit, ex naturâ rei gratiam trutinare,quatenus ea vel sit permissa vel prohibita.

30: Nunc circa primum objectum, paucis agam,quod etiam sæpe jus nostrum debitoribus concedat gratiam etiam invito creditore, tum propter singularem aliquam reverentiam, tum propter publicam utilitatem. Quoniam autem communiter demũ solutione ejus quod debetur, sequitur liberatio, l.5.C.*de solut*.l.5.C.*in quib.caus.pign.vel hypoth*.l.27.l.33.§.1 ff.*de solut*. & Judex debitorem in id condemnare debet, quod ex actionibus aut actionum naturâ, debitum probatum esse cognoverit. l. 18. ff. *comm.div*.l *fin*.C.*de fideicomm.libert*.l.2.*ff.de* U*sur*.l.31.*de* R.C.l.20.*de* R.V.l.45.*de fruct.& lit.expens*. unde apud veteres culposi debitores qui solvendo non erant l.12.*tabb*.gravissimis pœnis subjiciebãtur. *Gell.lib*.20.*c*.11. Attamen ex variis causis creditorum Jus sæpe limitat Juris stricti æqua mitigatio, & Legislatoris gratia, ut nempe

 solidum

ſolidum exigi non poſſit à certis perſonis, Gratiâ Principum privilegiatis, à quibus ultra quàm facere poſſunt nemo poteſt exigere, quod Jus privum dicitur, quoniam à communi regulâ decinat. l. 3. C. *de LL*. l. 196. *de* R. J. l. 37. *de Iure fiſci*, Ideoq. Judex meritò rationem habere debet Rei condemnandi, ne eum qui hoc modo privilegio ſingulari tutus eſt, ultra quàm facere poteſt condemnet, quoniam etiam communiter pro qualitate perſonarum actio formatur & condemnatio moderatur. l. 15. *in fin. de neg. geſt*. in hâc autem juris adminiſtratione, reus in ſolidum condemnatus doli exceptione tutus eſt. l. 17. §. *fin*. ff. *ſol. matri*. quamvis hæc exceptio non ſit perpetua, ſed ad pinguiorem fortunam rei, tantum dilatoria, l. *un* § 7. C. *de rei ux. act*. l. 8. C. *ſolut. matrim*. Vocatur autem hæc Gratia ex DD. interpretatione Beneficium Competentiæ ſeu Deductionis, cujus ſedes deſumitur ex. l. 16. *& ſeqq. ff de re Iud*. ex l. 12 *& ſeqq*. ff. *ſol. matr. l*. 63. §. 1. *ff. pro ſoc*. Quoniam autem dictum eſt, beneficium hoc eſſe exorbitans à communi jure, inde certis perſonis conceſſum eſt, quas non egreditur. l. 1 §. *ult*. ff. *de conſt prin*. §. 6 *Inſt. de* J. N. G. *&* C. l. 29. *de re Iud*. competit itaq; PARENTIBUS § 38. *Inſt de act*. l. 16. *de re iud*. l 7. §. 1. ff. *de obſeq. par*. quippe quibus naturalis ac civilis ratio hoc attribuere videtur. l. 17. ff. *ſol. matr*. l. 5 C. *de P. P*. l 6. *de in jus voc*. l 4. *de curat. fur*. l. 28. C. *de inoff. teſt*. LIBERIS, l. 18. *ff ſolut. matr*. l. 30. ff *de re iud*. quibus parentes ſemper theſaurizare coguntur. *c*. 6. *x. de cenſ*. cùm una caro eſſe reputentur. l. *fin*. C *de impub & al. ſubſt*. quare nefas eſt, ac calumniandi materia, pruritu diſputandi eos excludere, quos, ratio ac lex admittit, Nec *d. l*. 30. ſpecialem caſum continet, quoniam in eâdem de triplici agitur ſubjecto cui idem privilegium applicatur, verba enim ultima legis amplificant eandem, non ratione objecti nempe donationis, verùm ratione ſubjecti nempe perſonarum, quoniam donatio inter Patrem ac filium non ſubſiſtit, ut inde naſcatur actio. l. 11 C. *de donat*. l. 25. C. *de donat. inter vir & ux*. ergo nec JCtus de actionis qualitate cogitare potuit, cùm non entis non ſint affectiones nec qualitates. l. 41. ff *ſi cert. pet*. l. 4. §. ff. *de act Emt*. nec limitari illud poteſt, quod nec eſt, nec eſſe poteſt, l. 116 *de V. O*. l. 78 § 4. *de leg*. 3 MARITIS, reſpectu dotis aut aliorum contractuum, ab uxore conventis l. 17. 20. *de re Iud*. l 54. ff. *ſolut. matri*. quod ut æquâ lance in MULIERIBUS obſervetur, æquitatis ſuadet ratio.

d. l. 20.

*d.l.*20.*&* 17. SOCERO, ex promissione dotis, si illa stante matrimonio petatur. l 21.22.*de re iud.* SOCIIS, l.16 22 § 1 *d.t.*§.38. *Inst.de act.* l. 63. ff *pro soc* DONATORIBUS, l.19.§.1.l.41.50 ff.*de re jud.* l.12. 33. ff.*de donat.* l.28.*de* R.J §.38.*Inst.de act.* quod jus respectu donatoris pingue esse videtur, quoniam ex ejus bonis prius deducitur æs alienum l.49.*de re iud.* l.173.*de* R.J. ratio est in *all.* l. 50. Procedit tamen hæc gratia tantùm, in simplici donatione; Nam si ea fuerit remuneratoria, aut si extraneus dotem promiserit, in solidum potest fieri condemnatio. l.19.§ 1.*&* §.*fin.*ff.*de donat. junct.* l.2 .§.11.ff.*de pec. her* l.*pen.*ff.*de* J.D. MILITIBUS ARMATIS, qui pro Patriæ salute merent, sive sint in expeditione, sive stationarii. l 6.*pr.l.*18.*de re iud.* l. 7. ff *de cast.pec.* Illi etiam qui propter fatalem fortunæ casum ad flebile cessionis bonorum beneficium confugerunt, si denuò aliquid acquisierint, ac de residuo conveniantur. §.*f.Inst.de act.* 1.4.ff. l.1. C *q.bon.ced.poss.* l 51.*de re iud.* Pluribus hæc prosequi propositum vetat.

31. Hactenùs secundum dispositionem *Thes.*20. explicui primum Gratiæ objectũ, quod personis tam privatis quam publicis, quibus nempe rerum administrandarum arbitrium concessum est competit. Jam progrediendum est ad Objectum Secundum ac Tertium quorum robur & vis, Maiestaticam præsupponit Authoritatem, vel mediatè, vel immediatè; Utrumque enim hoc obiectum, quoniam contra Jus constitutum est occupatum, illudq; infringit, nemini conveniens esse potest, quam ei qui Maiestatis iure est particeps. Quemadmodum enim solius Principis est legem condere. l. *ult. C. de LL.* l.2 §.21.18.*C.de V.I.E Nov.*143 ita etiam eiusdem est legem mitigare, emendare, mutare, aut circa eam dispensare. *l.* 1.*C.de LL* §.6.*Inst.de I.N.G.&* C.l 23.C.*de nupt.* nam Judici non licet ab expressâ lege discedere, sed secundùm eam Jus dicere tenetur. *c.3.dist.*4.l 21.*ff.d.LL.* qui enim Principe est inferior, legi ex propriâ autoritate derogare nequit. l. 2. C. *de off.praef. Prat. Afr.* Princeps autem qui perpetuò pro Reipb. utilitate debet operari, *Nov.* 8.*in præfat.* leges tanquam fulcra Imperii, ita interpretari debet, ut eas vel mitigando vel exasperando, in salutem Reipb. aptet,

32. Secundum Obiectum continet Juris constituti dispẽsationem; Quamvis enim publicè intersit, ut leges cum ratione

latæ,

latæ, æqualiter obſerventur, ne diſtrahatur ab ullius perſonæ iniquiori repetitione. l. 31. ff. *depoſ.* aut inæqualitate iuris, multitudo civium in furorem concitetur ac ſævitiam, quorum enim æqualis eſt ſanctitas, eorum etiam æqualis celebretur feſtivitas, *c.* 8 *diſt.* 76. cum parum ſit leges in civitate eſſe, niſi ſint qui eaſdem interpretentur & legitimè conſervent, *Nov.* 26. *c.* 1. *Nov.* 133 *c.* 4. l. 2. §. 13. ff. *de O. I.* quoniam non tantùm leges decenter ferre, ſummo bono eſt, ſed etiam ſancitas accuratè cuſtodire, ſumma prudentia eſt; Cùm nulla legum ſit utilitas, quæ in literis duntaxat conſiſtit. *Nov.* 161. *in præfat.* ut enim animali magnopere neceſſarius eſt, non titubans oculus, ita etiam Reipb. valde utilis ac neceſſarius eſt, legum æquus & rectus ſtatus *Nov. Leon.* 19. l. *fin. C. de Procur.* l. 41. *de* R. J. R. J *de Anno* 1530. §. weiter nach dem. Attamē ut ut in Theſi hæc ſint veriſſima: in hypotheſi tamen, prudentia adminiſtrantis Rempb. ſæpiſſime ſuadere videtur, à iure communi ac ordinario eſſe recedendum, quatenùs illud illæsâ conſcientiâ fieri poteſt. Nunquam enim, poſt horribilem dirumq; lapſum generis humani, quo à primogeniâ puritate defecit, ac ſe in perverſi animi, ac malitioſæ cupidinis abyſſum præcipitavit, Politia Platonica reperitur aut etiam conſtitui poteſt, in quâ omnis effrenata laſcivientium cupiditas domaretur, aut ad amuſſim rectæ rationis, ac vigorem legum vivatur: Quapropter ſummæ eſſet dementiæ ſi ſummus Magiſtratus, omnia ſubditorum facta, ad unguem ac æquilibriū juſtitiæ perpetuò vellet æſtimare. Unde *Plutarch.* à Juſtitia in parvis rebus nonnunquam abeas, ſi ſalvam eam velis in magnis: Multa equidem à prudenti Principe ſunt culpanda, non autem ſemper coercenda, præſertim ſi Reipb. damnum inde metuatur, & contra utilitas quædam emergat, *c. tali.* 1. *q.* 7. *arg.* l. 51 *ad L Aquil.* l. 24 §. 5. ff. *ſolut. matrim.* l. 14 § 14. ff. *de Relig. & ſumt fun.* l. 3 § 4 *de ſepulc. viol.* aut ſi urgens aliqua accedat neceſſitas, quæ ſæpius à Regulis Juris recedendum ſuadet. l. 10. §. 1. ff. *comm. div.* l. 7. *pr. de admi. tut.* quoniam ſemper ſalus populi ſuprema lex eſto. l. 5. *de decret. ab ord. fac. Cic. lib.* 1. *de Off.* ideoq; æquitas civilis ſæpè attendenda, quamvis jure deſtituamur. l. 2. §. 5. *ff. de aqv. & aqv. pluv. arc.* quamvis cum æquitate gratiam cōfundere non liceat, nec libeat.

33. Diſpenſatio igitur ex meo propoſito deſcribi poteſt: GRATIA PRINCIPIS IUS COMMUNE IN CAUSIS CIVILIBUS,

EX IUSTA CAUSA RELAXANS. dum enim Princeps specialiter dispensat, non ipsam tollit legem, sed legis obligationem à certo aliquo actu removet, & personam aliquam ex ejus obedientiâ eximit, ita ut actus aliâs de jure nullos, convalidet, nempe permittendo futurum aut confirmando præteritum. *arg. l. 9. C. de testam. l. 35. C de inoff. test.* multa siquidem impediunt agendum, quæ actum non dissolvunt, *l. 8. ff. de his qui sunt sui vel. al.* Is tamen qui Regali hac dignitate ac potestate pollet, cautè circumspicere debet, ne quicquam dispenset, quod authoritatẽ ac Jus superioris lædat, quippe injurius est in eũ, cujᵒ Leges violat, quia nullo modo convenit inferiori superioris constitutiones frangere, corrigere, aut imminuere. *arg. §. fi. Inst de leg. agn. tut c. cum inferior. x. de maj. & obed. c inferior. dist. 21. c. 1. dist. 9* Quoniam autem dispensatio præprimis in Jure matrimoniali est frequens, de eâ primò distinctè est agendum: Aut enim quæstio est de dispensatione matrimonii prohibiti, de Jure naturali & divino, quod non opinio Magnatum ac principum constituit, sed ipsa naturalis ratio, & Deus ipse ex immoto pietatis & virtutis fundamento æternum esse voluit: Certè in hoc jure, quod naturalis pudor & divina voluntas constituit, omnem utique dispensationem denegandam puto terreno Magistratui, & multò magis Romanorum Præsuli qui in hoc magnoperè sibi placere videtur, dum scãdaloso ac insano ausu, ad satiandam sacram auri famem, eam sibi autoritatem tribuit, ut non tantum in Italiâ verùm etiam aliis Regnis ac Regionibus, cæcis hominum mentibus persuadere audeat, se omnipotentis Dei esse vicarium, ejusdemque immotam legem posse mutare, corrigere, emendare ac mitigare: Quod unicuiq; notissimum erit, si Regna ac Regiones Papali jugo subjectas inspexerit, docent enim illud Polonia & alia Imperia, multis exemplis, quomodo, & quã variè contra expressum Dei mandatum, & proprias constitutiones, in Corpus Canonicum digestas, de facto processerit, atq; ita de jure errarit. *arg. c. literas. extr. de restit. spol. c. sunt quidam. 35. q. 5. c. cum teneamur. x. de præb. c. si quando. ext. de rescript. c. etsi illa. 1 q 7.* Cum etiam nulla causa esse possit, quæ per humanum arbitrium excuset, à lege Dei. *c cum tanto. de Consuet c. tali. 1 q. 7.* Omnis quidem potestas Politica est à Deo *prov 8. v. 15 1. Reg 2. 1. Sam. 16 Deut. 17, 2. Nov. 73. in præfat.* non tamen ut voluntatem Dei pro arbitrii voluptate, flectere ac reflectere possit Magistratus politicus; sed ut

maros

muros domus Domini ædificet, ac regat in verâ religione populum. Ergò nullus Magistratus, potest abuti illâ potestate, quam à Deo habet acceptam. *Esai.10. c. qui omnipotentem. 11.q.3.c.fin.x de transact.* unde facilè patescit quàm scandaloso conatu, Papalis arrogantia, gradus divinâ lege prohibitos, permittat; quo fidelium cœtus ubivis irritatur. *c.cum inhibitio.x.de cland.dispens.*

34. Et hunc articulum Protestantes Germaniæ Status inter summa gravamina, contra audacem papalis arrogantiæ temeritatem retulerunt. *Goldast. Const. Imp. pag.36. & 59.* ibi: daß etliche dinge &c. & porrò, sonderlich bey den Armen verdamlich sein gesetzet/ vnd doch den Reichen/ die selbige thewr zu bezahlen haben/ vmb Geldes willen zugelassen vnd erlaubt werden: dadurch nicht allein groß Geld vnd Gut auß Teutschland gen Rom gebracht ist/ sondern auch beschwerung der Seelen vnd Gewissen darauß erfolgt: Talis certè dispensatio meretur potiùs nomen dissipationis, quàm dispensationis, quia plus dissipat quàm conservat, cùm tamen omnis dispensatio in commune demum bonū si vergat permittitur, quod etiam Catholicus Romanus, natione Gallus exprimit, Qu' en ces occasions doivet plustost estre appellees dissipations de loix, de la poudeur, de l' honnestete, que dispensations. Quapropter majorem merentur laudem Divi Romanorum Principes qui sacratissimâ lege, sub pœnâ gravi prohibuerunt, ne nuptiæ petantur ex rescripto contra jus, quippe cum nulli concedere velint, profuturam impetrationem rei, cujus est denegata petitio. *t.1. C. si nupt. ex rescript. pet.* Noverunt etenim laudatæ memoriæ Principes, quod res bonis moribus & verbo Dei contraria, à nullo homine possit fieri legitima, *c. non nos. dist. 4. c. etsi Christus. de Iur. Iur.* Quippe ipse Deus in suâ lege constans propter immensam suam justitiam. *Gen.18. v.25. Ezech.18.v.25. Iere.2.v.9.* Videbit ergo omnis Magistratus, quâ ratione in supremo Justissimi Judicis tribunali, actiones suas contra naturæ, & Dei LL. pertractatas defendere velit; Quisq; enim scire debet, à Lege Dei non esse recedendum, & non aliter cum Principibus, quam plebeiis in LL. naturæ ac divinis procedendum, *c nulli fas.25.q.1.c.homo.dist.4.c.novit.x.de Iud.* Et quamvis Papa temeritate temerariâ, à nullo mortalium se iudicari posse prætendat. *c.si Papa.dist.40.* Attamen justissimum omnipotentis tribunal, tremendâ sententiâ eum iudicabit, qui leges eius evertit, ac violat, *c.aliorum 9. q. 3. c.contra statuta 25.q.1.* quæ

sunt

ſunt immutabiles ac inviolabiles. *c. fraternitat.* 25. *q.* 10. Unde *Sapi. 6. verſ. 5.* tale Judicium audiet futurum; *Quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni ejus, non rectè judicaſtis, nec legem conſervaſtis, nec conſilium Dei eſtis ſecuti, horribiliter ſuperveniet vobis, & repentè, quoniam Iudicium in Proceres exercebitur ſeveriſſimum.* Si autem quæſtio erit de gradibus Jure civili prohibitis propter civilem aliquam honeſtatem ac rationem, dubium nulli eſſe poterit, quin in iis quæ ratio humana, & æquitas civilis conſtituit, eâdem ratione rurſus variante, aut cauſæ gravitate impellente, admittatur diſpenſatio. §. 11. *Inſt. de I. N. G. &* C. l 32. §. 1. *de LL.* l 35. *de* R. I. l. S. *de ſolut.* quemadmodũ enim Jus civile connivere debet, ſi aliquid cum honeſtatis cynoſurâ ritè non conveniat, *arg. t. t. de concub.* l. 14. §. 14. *de rel. & ſumt. fun.* l. 144. *de* R. J. ita is qui Reipub. præeſt, urgente causâ à legum ſtrictâ executione interdum recedere debet, ac poteſt; Ideoq; Jus diſpenſandi illis utiq; tribuo qui vel jure Majeſtatis, aut territorialis utuntur, tanquam Magiſtratus Politici, hi enim, quoniam leges ferre poſſunt, contra eaſdem etiam diſpenſandi poteſtate pollent. *arg.* l. 1. l. *ult.* C. *de LL.*

35. Ulteriùs ad Objectum ſecundum præſentis diſcurſus, pertinent privilegia; Quæ qualia etiam ſunt, à communi conſtituto jure diſcedunt, utpote quæ ex ſpeciali legislatoris gratiâ, vel etiam ad certas cauſas, vel ad certas perſonas diriguntur, & ultra jus commune quod generale eſt. l. 8. *de LL.* ſpecialem aliquẽ favorem continent. l. 2. *C. d. t.* unde etiam Jus privum dicuntur, quaſi jus ſingulorum, priva enim apud veteres idem quod ſingula denotabant, *Gell. lib.* 10. *noct. att. c.* 20. quare etiam communiter DD. privilegium hoc dicunt, ſi propter certas circumſtantias à jure communi Princeps recedat illud exaſperando, *arg. l.* 1. §. *fin.* ff. *de Conſt Princ.* §. 6. *Inſt. de Iur. Nat. Gent. & Civ.* junctâ l. 6. §. fin. ff. de *pœn.* quod tamen vix admitto, quia etiam tunc pœna irrogatur, quando ordinaria mitigatur, de quo caſu videtur contextus dd. ll. loqui, quod etiam rationis eſt de quo *θ.* 37. Adæquatum ideò gratiæ objectum conſtitui Juris remiſſionem non exaſperationem, quapropter etiam privilegium illud demum erit, quod favores continet, non autem odia. *c. quod ob gratiam. de* R. *I. in* 6. unde dicitur indulgentia. l. 1. *ff. de teſtam. mil.* ac Beneficium. l. 3. *de Conſt. Princ.* l. 68. *de* R. J. quandò nempè is qui condendæ iuris poteſtate gaudet, humanitatis aut utilitatis intuitu, certæ perſonæ,

aut causæ subvenit *d.l.1.§.ult.l.11.de mun.& hon.l.23 C.de nupt.l 8.C. de advoc.divers.Iud.l.12.C.qui pot.in pign.t.t.ad SCT.Vell.l.13.C.de excus. min.* Jus enim privum semper præsupponit commune contrariũ, quippe quod contra tenorem legum civilium est constitutum. l.16.*ff de LL.* Quoniam autem æqualitas maxima Rerumpb. felicitas est.*arg.Nov.2.c.5.c.6.x.de Const.*l.*fin.* C. *de Procur.* cautè progredi debet, qui gratiam singulariter alicui concedere vult, ne benivolentiâ ipsam Rempb corrumpat, undè *Tacit.* 13. *Ann.* 27.*dispiciat quoq; merita, tardèq; concedat, quod datum non adimitur*: quarè etiam apud veteres Romanos privilegia erant prohibita. *l.* 12.*tt.* non quidem ea quæ certo generi personarum aut causarum erant cõcessa, qualia sunt mariti.l.12.*ff sol.matr.* Mulierum. l.12. *C.qui pot.in pign.t.t.ad SCT.Vell* Seniorum. l.*fin.*C.*qui at.se excus.* Minorum. *t.t.de Rest.in integ.t t.de minor.* Scholarium.*auth.habita* C. *ne fil.pro pat. t.t. C.de Priv.schol.* Militum.*t.t.de testam.Mil.* Rerum sacrarum ac Templorum. *Nov.* 7. *c.* 14. *x. de Privil.* Sed ea demum quæ quibusdam personis singulariter concedebãtur, ea enim invisa & odiosa sunt cõcivibus; Nec hodiè facilè concedendá, ne discordia civium oriatur, cum onerum participes communia etiã commoda sentire debeát, & contra l.1.*ff.de Inst.act.*l.10.*de R.I.*l.*pen.*C *de suscept.* onera enim & officia sunt partienda. *c. fin. de Off præsb.*l.25. *C.de Decur.* quapropter omnia Jura non singulis personis, sed generaliter sunt constituenda & administranda. l.9 *ff.de LL.* ne dissensiones ac simultates causentur.

36. Nec etiam Privilegia quæ per gratiam Principis conceduntur, vergere debent in tertii damnum ac dispendium, quippe quod semper ita intelligendum est, ne lædat Jus proximi, aut in ejus injuriam sit excogitatum.*c.19.30 x. de Priv.* Ideoque nec Princeps valere vult Privilegium quod aliis est nocivum sine causâ.*l.3.C.de Prec.Imper.off.l.1.§.* 10 16. *ff. ne quid in loc. publ.c.* 11 *de resc.in* 6.l.1.C.*de pet.bon.subl.lib.*10.l.8.*ff.de Prat.stip.*l.40.*de admin tut.* R.J.de Anno 1548. §.wiewohl auch in der &c. & hoc multò fortiùs est concludendum, si in Reipb. detrimentum operetur, quæ enim in publicum nocitura videntur, & ad dissolutionem societatis civilis profectura, quamvis fortè uni aut alteri profutura sint, tamẽ non sunt concedenda, ne singulorum & omnium ruinam post se trahant, de quo queritur. *Tacit.* 6. *Ann.*16. nempe privato usui

bonum

bonum publicum poſtponi, quapropter ſingulorum quorundã compendium ſæpè negligitur, ſi in publicum redundet bonum, non autem contrà. Nã quod directò vel indirectò publicè nocet, nullius momenti eſt, ac pro infecto habetur *d.l.3.C.de Prec. Imper.* l.5. ff.*de decret. ab ord. fac. t. t.* C.*ſi contra Ius vel utilit.* ea enim res conceſſa nihil operatur cujus eſt prohibita petitio. l.5. 6.*C.d.t.*l.2.*C.ſi nupt. ex reſcript. pet.* quapropter pacta ac privilegia quæ publico adverſantur civium bono, ſecundum prudentiorum placita, facilimè enervantur. *arg. R.I. de anno* 1521. *tit.* Ordn. des Landfriedens §. Wir ſetzen. *& de anno* 1530. §. und nach dem wir. *Nov.* 17. *c.* 1. Exemplum in ſtatu publico, nobis ſuppeditat Jus Monetandi. Cùm enim notiſſimum ſit, quod ex vitio monetæ maximum ſæpè damnum ſentiat Reſpb. *Nov. Leõ.* 52. indè in noſtro Imperio admirandum, quod quivis etiam Imperii angulus, novum foveat pecuniæ genus, cum maximo damno tum peregrinantium, tum etiam eorum qui commercia exercent, imò omnium creditorum ac debitorum, quorum litibus Judicia abundant, cùm tamen in cudendis monetis Cæſaris tantummodò ſtudium verſari debeat, juxta Conſtantini Imperatoris mentem. l. 2. *C. de fals. mon* quod etiam laudi fertur Invictiſſimo Imperatori Carolo M. qui non alibi quam in ſuo Palatio cudi monetam voluit. *Bodin. lib. 6. de Repb. c.* 3. & diutiſſimè in Imperio noſtro ſoli Imperatores hoc jure uſi fuerunt, quod poſtmodum per ſpeciale privilegium Electoribus eſt conceſſum *A.B tit.*10. verùm hodiè omnes omninò Imperii Status Jure ſuperioritatis idem ſibi Jus tribuunt, quod quidèm ferendum eſſet quia difficilis erit mutandi occaſio; quoniam autem in tantum excrevit nummorum cudendorum poteſtas, ut etiam minimæ civitates mediatæ, eodem jure ſæpè cum abuſu utantur, quæ ex cupro, ſtãno ſæpe & ære optimã Principũ monetã infeſtãt purumq; ſæpe aurum, ſuo ære ac cupro permutant. Hæ, quamvis talem poteſtatem ſpeciali privilegio exerceant, attamen quia hæc in miſeriam Imperii non debet vergere, ideo eandem optimâ ratione, rurſus tolli poteſt, præſertim ſi præſens abuſus inde innoteſcat. Unde etiam Imperatores & Reges Romanorum noviter electi capitulatione juratâ promittere debent, quod ſine EE. conſenſu hoc privilegium nulli concedere velint, & abuſum hactenùs clam palamq; introductum ſummovere. *Capitul. Carl. V.*

 art. 28.

*art.*28 *Ferd. II. art.* 33. *Ferd. III. art.* 35. & de legitimo aliquo remedio, ut huic malo subveniatur, jam dudum in generalibus imperii diætis fuit consultatum. R. J. *de anno* 1512. 21. 26. 29 30 32. 41. 51 57. 59. 70. 82 94 1603. Et hoc non immeritò quoniam Jus Monetæ inter majora maiestatis jura refertur. l 2. C. *de fals. mon. R. I. de anno* 1524 §. 26. *de anno* 1551. §. 47. *& de anno* 1570. §. 70. Si autem ea quæ Regalia sunt ac Jura Imperii, communicentur quibuscunque, certè Maiestas Imperantis vilescit: Unde gratia in contemtum Principis, & diminutionem autoritatis concessa, omni jure revocari potest.

37. Tertium definitionis membrum explicandum, ordinis ratio suadet; Et hoc est quod consistit in juris violati remissione, quæ per Principale auxilium fieri solet, & à DD. communiter dicitur *ius aggratiandi*, Germ: eine Nachlassung / Begnadigung / Linderung der Straffe. vox autem aggratiandi, non tam purè latina est, quàm judiciorum stylo recepta & usu approbata, quemadmodum plures tales voces ex peregrinis linguis contortas, usus fori agnoscit, & hoc apprimè licitum est, si ritè mentem Judicis, litigantium, aut causæ explicent. Atquè ita etiam Jus aggratiandi denotat potestatem & voluntatem remittentis pœnam legitimam reo alicui infligendam, Hanc autem potestatem cuivis Jus dicenti concedere jura vetant, secundum superius tradita in §. 14. quippe cùm inter summa Regalia, seu jura Majestatis referatur, ei demum cõvenire potest qui vel proprio, vel concesso jure eandem exercet. In nostro itaque Imperio Imperatori hoc Jus tribuitur, jure Majestatis. *l. 4. l. 27. l. 31 ff. de pœn. R. I. de Ann. 1529. §.* Und wiewohl. Statibus autẽ Imperii jure territoriali, *Instrumento Pac. artic. 3. & 8. Capitul. Imper. art. 3.* confirmato. Quapropter summi hoc Imperii munus ab omnibus Imperii Statibus practicari extra dubium est, unde communiter responsa prudentum terminari solent; dafern die hohe Obrigkeit deß Orthes / dem Gefangenen nicht Gnade erzeigen wolte: Et hoc rationi juris conveniens est: Hi enim in suis territoriis Leges Provinciales condere possunt ergò etiam easdem cum ratione solvere. *arg. l. 35 ff. de R I.* Et quamvis Præses ac Judex latam sententiam mutare non possit, sed eam executioni demandare teneatur, *l. 15. ff de pœn. l. 42. 55. ff. de Re Iud. l. 1 C. sent: rescind. non poss.* Hoc tamen in iis, qui Jure Majestatis vel territoria-

torialis in Imperio nostro utuntur non obtinet. Hi enim vel sententiam passos per gratiam possunt restituere, *t. tit. ff & C. de sent. pass. & rest.* vel ante sententiam publicatam eandem mitigare. *l.8. §. fin. C. de vi publ. & priv. l.3. C. ne sanct. babt. iter.* Qui tamen hac potestate pollent, non temerè ac indistinctè pro lubitu eandē exercere debent, sed prudenti ac diligenti præcedente indagatione ad eam moveri debent, ne sub specie gratiæ justitiam, quâ solium Principis firmatur, violent. *Proverb. 16. Novell 24. cap. 2.* aut subditis ansam delinquendi præbeant, spe futuræ remissionis, maxima enim illecebra est peccandi, spes impunitatis. *Cicer. pro Milon. l. 14. C. de pœn.* qui autem Magistratus propter delicta pœnam removet, ipse delinquere videtur. *l 60. §. 6. ff. locat. c. 4. dist. 43.* Atque ita durissimum erit Judicium in illos qui præsunt. *Sapi. 6.* si delicto tacitum adhibuerint consensum. *c. 2. de accus.* Ubi itaque crimina sunt atrocia, ac damnum reipub. aut læsionem proximi præsagiunt, cautè agere debent Principes, ne potestatis terminos excedendo, iram & vindictam omnipotentis in se, & in totum populum concitent, imò totius reipub. ruinam accelerent eamque in miseriam convertant, cùm publicè intersit ne delicta maneant impunita. *l. 13. ff. de Off. Præs. l. 51. ff. ad L. Aquil. l. 95. § 1. de sol. Eccles. 8. v. 11.* nam in Reip. corpore ut totum salvum sit, quicquid est pestiferum amputetur. *Cic. Phil. 8.* bonis utique nocet, quisquis pepercerit malis: Quæ enim bonitas est uni parcere, & omnes in discrimen adducere, itaque cum *Ovid.*

immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Princeps enim constitutus est lex loquens, qui officium Dei in terris exercet, ita Justitiam facere debet, ut civitatem conservet. *c. scelus. 2. q. 1. 3. Reg. 21. 2. Paral. 19.* Quæ enim injusta sunt, Princeps nec vult nec potest facere. *l. 15. ff. de cond. instit. c. faciat homo. 22. q 2. l. causas C. de transact.*

38. Itaque temerariam, frequentem, ac indifferentem gratiam in delictis removeo. *l. 14. C. de pœn.* non tamen omnem Principum clementiam tollere aut in exilium ducere mihi animus est, quoniam nihil tàm peculiare est Imperialis Majestatis, quàm humanitas, per quam solam Dei servatur imitatio *l. ult. C. de donat. int. vir. & ux. l. 23. C. de nupt.* idcircò tàm nulli quàm omnibus ignoscere crudelitas est. *Sen. lib. 1. de Clem. cap. 2.* Cum etiam Deus

 ipse

ipſe propter ſummam ſuam Miſericordiam maximis ſæpè peccatis parcat ac pepercerit. *Num.* 14. 2. *Reg.* 12. *Ion.* 2. *&c.* quocirca Princeps ſecundum monitum *Tac. in Agric.* Omnia ſcire debet, non omnia perſequi: ſcilicet parvis peccatis veniam, magnis autem ſeveritatem adbibere debet, nec pœnâ ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ contentus eſſe. *c. exigunt.* 1. *q.* 7. atque ita hic etiam moderatio Principis præponderare debet, quæ tutò in laude conſiſtit, ut omne mediocre. *l.* 6. §. 3. *de Off. Proconſ. l.* 33. *ff. de uſur.* Si enim nimis facilis eſſet Princeps in remiſſione pœnarum, anſam delinquendi tribueret. *c. eſt injuſta.* 23. *q.* 4. *c.* 13. *de Vit. & hon. Cler.* nulla vero probabilis ratio induci poteſt, ut ad peccandum via aperiatur *arg.* 5 ff *de pact dot.* l. 70. §. *fin.* ff *de fidei.* Si autem nimis gravis, ſuſpicionem crudelitatis ſuppeditaret, quia ſæpè ſummum Jus eſt ſumma injuria. *Cic. lib.* 1. *de Off.* l. 8. *de Collat.* Clementia itaq; vera thronum Regis roborat. *proverb.* 20. *verſ.* 28. Et videmus quod ſæpè Ratio Status efflagitet clementiam Imperantis, ut tanquam bonus Medicus omnia prius tentet, quàm ad extrema progrediatur, hic enim non prius ſecat, quam ſi in corpore tale quid inveniat, quod reliquo corpori noceat, tunc enim præſtat, ut membrorum aliquod, quam totum corpus intereat, hoc modo itaq; facilis eſſe debet vel ad gratiam, vel ad ſeveritatem, ſi aut ſalus Populi conſervari poſſit, aut procurari. *arg.* l. 10. *C. de fer.* quod obtinet maximè, ſi à totâ aliquâ univerſitate delictum fuerit commiſſum, *c. quoties* 1. *q* 7. quamvis enim multitudo peccantium, non pariat delicto patrocinium. l. 46. §. *fin. de Iur. fiſc.* attamen ſeveritati detrahit. *c.* 25. *diſt.* 5. *c* 1. *diſt.* 44 *c. non poteſt.* 23. *q.* 4. quædam itaque deſpiciat Magiſtratus ne cunctorum patiatur diſpendium. *c. diſpenſationes* 1. *q.* 7. nevè quid durius aut remiſſius cõſtituat, quam cauſa poſtulat. l. 4. §. 1. ff. *de incend. ruin. & naufr.* Talis autem manſuetudo quæ in bonum publicum, illæsâ conſcientiâ fit, æternæ laudi reputatur Imperatoribus, ut docet exemplum Honorii, qui legum acerbitatem mirâ heroicæ mentis facilitate mitigavit, quemadmodum de eo *Claudian* 4. *Conſ. Honor.*

Mitis precibus pietatis abundans
Pœnâ parcus erat: Paci non intulit iram

illudq; humanitate admiranda eius conſtitutio teſtatum facit, quæ relucet *in* l. *un.* C. *ſi quis Imperat. maled.* ibi. *neq; durum aliquid, vel*

aſperum

asperum volumus sustinere: Contumeliam enim Imperatori illatam, ultore gladio vindicari non vult *si enim* inquit *id ex levitate processerit contemnendum est*; *si ex insania miseratione est dignissimum* : *si ab injuria remittendum*. Ideo ut Imperatores leves injurias in propriam personam commissas, heroico spiritu contemnunt: Ita minora delicta nescire, majora autem severitate supplicii compensare tenentur.

39. Et quamvis jus hoc aggratiandi secundum. *th*: 14. iis tantùm conveniat qui in nostro Imperio jurium Majestatis sunt participes, cum olim solis tantùm Imperatoribus fuerit propriũ. l 1. § 27. ff. *de quæst*. l. 27. 31. § 1. *de pœn*. l. 3. C *de gener abol*. l. 45. §. 1. ff *de re iud*. attamen quædam personæ vel consuetudine vel speciali concessione privilegii, idem Jus exercere solent: Ita olim Romæ vestales si fortuitò sonti obviam irent, eum à pœnâ infligendâ liberabant, *Plutarch. in Numam*. Inde Cardinales Romani procul dubio idem ius sibi tribuere conantur, dum nempe pilei injectione, ab atrocissimo etiam delicto reum absolvere volunt. Verùm asyla sceleratorum hominum nullo iure aut rationali consuetudine approbata reperio, cũ ea non injuriã facientibus, sed passis subveniãt. *Nov*. 17. *c*. 7. *Ex*. 21. *v*. 14: *Deut*. 19. *v*. 4. 5. talis itaq; cõsuetudo summa est corruptela Juris & Justitiæ, nec ullo prætextu æquitatis, aut clementiæ defendi potest, propter multam fraudem, quæ omnia delicta posset excusare. Tale etiam Privilegium fuit Judæorum in festo Paschatos, quo facinorosum quendam liberare potuerunt. *Matth*. 27. *vers*. 15. *Marc*. 15 *vers*. 16. *Luc*. 23. 17. *Iohan*. 18. *in fin*. Idem in Germaniâ nostrâ irrationabile meritò reprehendimus in quibusdam locis, quando nempe in inauguratione Principis, aut si nova nupta eius inducatur, &c. & quis sceleratus rotã currus tetigerit sese pœnâ promeritâ liberat; Sed abominandi ac detestandi sunt hi & similes modi, utpote qui irrationabiles sunt, præstantes asyla sceleratis hominibus, jurisq; ac justitiæ vim cohibentes, *arg. c*. 11. *x de consuet*. Ergo ex nullo tẽporis cursu vim capiunt, ut legem vel rationem vincant, omnis enim lex & consuetudo pro formâ, rationem requirit. l. 39. ff. *de LL*. quæ si à materiâ removeatur eam destruit, quia dat esse rei. l. 7. ff. *de in integr. rest*. l. 9. §. 2. *ad exhib*. l. 28. §. 1 C. *de testam*. Unde necessariò concludo quod si consuetudo ratione destituatur, eam legem vincere non pos-

ſſe imò nec tollere. l. 2. C. *quæ ſit long. cônſuet.* Nov. 134. *c.* 1. *in fin.* l. 1. C. *de Nauf. auth. navigia C. de Furt.* C.C.C. *V. art.* 218. quapropter talis conſuetudo prædictas perſonas nullatenùs legitimare poteſt, ut rebus illicitis anſam præbeat, manet itaq; prius effatum: proprio jure nempè neminem iure aggratiandi gaudere, niſi iuribus maieſtatis particeps ſit.

40. Cum itaq; Jus aggratiandi, liberè imperantibus proprium dixerim, illud tamen ita circumſcriptum ac intellectum volo, ut tunc demum facinoroſis vel in totum vel pro parte peccata remittere poſſint, ſi nihil temerè aut impiè remiſerint; Bonus enim Princeps qui legitimè ſuo defungitur officio, nec vult nec poteſt quicquam facere, quod iuri ſit contrarium. *arg.* l. 3. 7. *C. de Prec. Imp. offer. t. t. C. ſi contra ius vel util.* Si itaq; doloſum aliquod crimen, expreſsâ lege Dei, certâ aliquâ pœnâ vindicandum noverit, credat ſe harum legum neq; authorem, neq; Dominum eſſe. *Rom.* 13. *v.* 4. ideo nec poſſe legibus Creatoris ac Domini ſui contrariari, *Deut.* 4. *v* 2. talia enim crimina quæ lege morali ſunt mortifera, ſine commiſeratione vindicanda iubet lex Dei, *Deut.* 13. *v.* 8. *c.* 17. *v.* 12. *c.* 19. *v.* 19. 1. *Sam.* 15. *v.* 22. 25. quod niſi fecerit Magiſtratus, cum Achabo terribile audiet ſummi Judicis Judicium *Quoniam virum more dignum dimiſiſti, erit anima tua, pro anima eius & populus tuus pro populo eius 3. Reg.* 20. atq; ita Magiſtratus non tantùm ſe ipſum ſed omnes etiam ſuos ſubditos extremo exitio exponet. Nullus enim præſumat impunè aliquid agere, quod Evangelicis, Apoſtolicis aut Propheticis præceptis obviet. *c.* 2. *diſt.* 10. deteſtabilis enim erit extremo iudicio, quiſquis Regium, aut Imperiale Jus ſibi ſumſerit in iis quæ æternâ lege ſancta & inviolabilia ſunt. Qui itaq; cum laude ac felici regiminis ſucceſſu imperare vult, Deo eſto ſubditus, eiuſq; leges ac ſtatuta ſervato. Quamvis enim Politica Maieſtas civiles leges in ſuâ habeat poteſtate ac arbitrio, ut eas cum civili ratione tollere aut ponere, exequi vel remittere poſſit, *arg.* l. 31. ff. *de LL.* l. 1. *& ult. C eod.* tamen divinarum legum tantum habet miniſterium, quare circa eas talis debet eſſe eius poteſtas, ut ea citra violationem conſcientiæ aut diſpendium publicæ ſalutis, interponatur *Nov.* 77 Interim tamen ſi legitima acceſſerit cauſa, non dubito, quin mitius quid ſtatuere poſſit, quam litera legis videtur velle, ita tamen ut cir-

ut circumſtantias ritè conſiderando vel in eodem pœnæ genere maneat, vel ordinariam pœnam in extraordinariam convertat.

41. Crimina autem quæ lege Dei vindicanda præſcribuntur, vel in Deum committuntur vel in proximum: De illis primò videndum, de his poſteriùs: Ut enim in bonis meritò optima præmittuntur, ita in malis peſſima ac magis deteſtabilia, ad deterrendum, prius ſunt delibanda, *arg.l.fin.C.de fid. Inſtrum.c.illud.* 8.*q*.1.l.18.C.*de nupt.*& quamvis quidem omne delictum Deum offendat, attamen quædam magis directò contra Deum intenduntur, quædam autem indirectò, & mediatè, uti ex ſequentibus patebit, omnia enim crimina proſequi, hac vice propoſitum vetat atrociora itaq; excerpam, quæ ad materiæ illuſtrationem conducere videntur, ita cuivis facile erit de reliquis judicare.

42. Contra Deum horrendum crimen eſt BLASPHEMIA quando nempè quis malitioſo ac diabolico affectu, omnipotentiam aut Juſtitiam Dei calumniatur, eiq; ea tribuit quæ ſceleratis creaturis conveniunt, is, quia ſe indignum facit ſummâ Dei miſericordiâ, eujuſque iram ac vindictam provocat, ut fames, terræ motus, peſtilentiæ, & ſimilia mala, in genus humanum proruant, juſtiſſimo Dei Judicio ultimo ſupplicio jure meritò ſubjugatur, ac à toto populo lapidibus extirpatur. *Lev.*24.*v.* 14. *& ſeqq.* eamq; pœnam ritè imitantur ac renovant Chriſtiani Imperatores, & non tantùm ipſos blaſphemos ſummo ſupplicio tollunt, verum etiam ipſos Magiſtratus in officio negligentes, ac juſtam pœnam delinquentibus non irrogantes, meritis pœnis afficiunt. *Nov.*77.*c. un.*R.I.*de anno* 1495.*tit.* Königl. Satzunge von den Gotteslästerern O. P.*de anno* 1530.*tit.* von Gottes Lästerung/ *& de anno* 1548. 1577. *tit. eod.*C.C.*art.*106. Huic crimini atrocitate delinquentis vix abſimile eſt SORTILEGIUM, quo aliquis renunciat Chriſtianæ fidei, ac meritum Chriſti abnegat, ſeq; dæmonis ſervitio mancipat, ac ejus miniſterio in creaturarum exitium utitur, ut his exitioſa mala inferat, illuſoriis artibus ludat, ac diabolica miracula concitet, talis in Jure Civili dicitur Mathematicus. l.2. *& t.t* C.*de Malef. & Mathem.* Canonico verò, Sortilegus, *c.pervenit. & c.contra.*26. *q*.5. Fædiſſimum hoc delictum, ex abnegatione Dei & Divinorum Sacramentorum, propter fœdus cum diabolo initum, ultimo interitu, divino & humano jure vindicatur, *Lev.*20 *v.*27.*Exod*, 22.*v.*18.

*Deut.12 pr.& c.18 v.11.1.Reg.28.1.3.1.5.7.9.C. de Malef. & Mathem. Nov.Leon.65.Paul.5.sent.25 v.11.C.C.C.V.art.*109.unde nemo exinde gratiam sperabit.

45. In Proximum committitur atrox crimen HOMICIDII, quod cùm vergat in destructionem humanæ gentis eò magis naturâ & lege est detestabile, unde hoc crimen si doloso perpetretur consilio, non nisi sanguine homicidæ purgari potest, Inde Papinianus Caracallæ fratricidium excusare recusans: Non tàm facile esse *inquit* excusare homicidium quàm perpetrare, nec ob Principis Gratiam offendendam Justitiæ Majestatem, quamvis interdum ratione circumstantiarum, in eodem genere tamen, possit fieri vel mitigatio vel exasperatio; Semper enim prout res postulat durius aut remissius à judicante statuendum est. l 11 *ff.de pœn.* quemadmodum enim ratione delinquentis plus est hominé veneno quàm gladio interficere. l.1.*C.de malef. & mathem.* ita etiá longè truculentius est in lineâ ascendenti, descendenti aut collaterali, sanguinolentas maculare manus, & PARRICIDIO indulgere, itaq; quò major est homicidii immanitas eò etiam severiori supplicio fieri debet expiatio truculenti sceleris; Si quis igitur ruptis rectæ rationis & humanæ naturæ vinculis, in proprium sævierit sanguinem ei lex civilis, cœlum superstiti & terram mortuo aufert, ut vivus omnium elementorum usu carere incipiat. *§.6.Inst.de publ.Iud.*l.9 *pr.ad L Pomp.de Parric.*l.*un.C. de his qui par. vel liber.occid.Cic.pro Roscio,* quæ pœna præsertim in lineâ ascendenti & descendenti non est abrogata, quamvis partim locorum recepto usu, partim constitutione criminali.*art.*131. modò forcipibus lacerentur, modò vivi sepeliantur, modò rotâ contundantur. *art.* 130.131. VENEFICIO qui homines necant, quoniam malitiosissimi sunt homicidæ *d.*l.1.*C.de malef.* etiam graviorem pœnam sustinere debent, ut vel rotâ contundantur, vel aquâ suffocétur, CC. *art.* 109.130 134. Latro est qui LATROCINIUM, destinato malo proposito, affectat; Is etiam multo peior est quâm homicida simplex, quoniam latrocinandi causâ homines in viâ vel alibi invadit. Ergò rotà contunditur, & furcâ figitur, cum *homicida* simplex qui malitioso calore iracundiæ occidit, ultore gladio è medio tollatur. l.28.§.15 ff.*de pœn* CC.*art.*137.§.5.*Inst.de publ.Iud.*l.7 ff.l. 2. C.*ad L.Cornel. de Sicar.* Quamvis itaque pœna homicidii in eodem

genere

genere modò minui, modò exasperari possit, attamen si dolosum fuerit homicidium, semper morte naturali erit puniendum, ut terra purgetur, & sanguis nubes cœli pertransiens, ac vindictam postulans, expietur sanguine effundentis. *Gen.9.v 6.* Exod 21. v.12. *Lev.19.v.15.Num.35.v.16 Deut.19.v.11.l.3.C.de Episc.aud.* ideò & hîc gratia exulare debet.

44. ADULTERIUM inter atrocissima etiam crimina refertur quæ erga proximum committi possunt, nec in societate maritali gravius aut turpius inveniri potest; Perfidè enim violatur conjugale vinculum, quod perpetuum esse debebat individuum & venerandum. *Nov 140.pr.§ 1.Inst.de P.P* l.1. ff. *de* R. N. *c.1. cauf.27.q.2.* dolosè partus falsus thoro alieno substituitur. *c. non mæch hab. 32. q.5.* ac sacrilegio amor maritalis scinditur. l.30. C. *ad L. Iul.de adult.* Propter hanc turpitudinis atrocitaté, quam naturalis humanæ vitæ ratio, reprehendit; etiam gentium moratiorum iure, abominabile & nefarium crimen censetur; Unde ipsi mariti ac parentes non tantùm jure civili. l.23 24 32. ff. l.4. *& auth si quis.C. eod.* sed etiam Jure Gentium vindicandi potestatem plerumq; sibi licitè sumserunt, ut de veterum Germanorum & aliarum gentiũ moribus, testatur *Tacit.de morib Germ.c.19.Valer.Max.lib.9.c 3.Suet. in Tiber.c.25.Gell.*l.12.*c.* 23. *Plut. in Solon.* Eamq pœnam Imperator Constantinus perpetuò valiturâ lege capitalem sanxit, *d.*l.30 § 1. *C.d.t.* quam Imperator Justinianus, in viris interpretatur capitalem, in mulieribus autem mitiorem. *Nov.134 c.10.* fortè quia Theodoræ Imperio obnoxius fuit. Ad easq; leges respicit Imp. Carl. V. C.C.*art.*120. Hodiè DD. Practici communiter distinguunt in adulterium qualificatum & simplex: Illudq; esse volunt, quando conjugatus cum conjugatâ, aut solutus cum conjugatâ vetitam libidinem exercet: Hoc verò cum conjugatus cum soluta, illicito amori indulget; illudq; in utrâq; personâ ultimo supplicio vindicandum suadent. Hoc autem mitiori pœnâ, quoniam de iure civili, stuprum potiùs est quàm verum adulterium. l.18.C. *ad L.Iul.de Adult* l.6.§.1.*l.* 34. ff. *eod.* nec hoc à lege Mosaicâ videtur alienum, cùm etiam major turpitudo sit in uxore quàm marito; Tum propter sanguinis commixtionem, tum propter partus alieni substitutionem *Lev* 18 *v.*20.*& 29.c.20.v.*10.*Deut.22.v.22. Ezech* 18. *v.6.* Itaq; in qualificato adulterio nec viro nec mulieri adulte-

ranti remissio capitalis pœnæ concedenda est, quamvis iniqua consuetudo multorum locorum, hodiè Magistratuum conniventiam satis declaret. Unde non mirum, quod sæpè populus omnipotentis vindictam, propter neglectam à Principe justitiam sustinere cogatur; Verùm deplorandi sunt mores, qui nec mala intelligere, nec remedia admittere volunt, idcircò ego jura non facta disputo, l. 12. ff. *de off. præs.* Hùc etiam pertinet nefanda libido, quæ contra naturam fit, & tale scelus est, quod non proficit scire, cum nempè venus cœco affectu mutatur in aliam formam. l. 31 C. *ad L. Iul. de adult.* Tale peccatum dicitur SODOMITICUM, propterea quod à sodomitis originem duxit, ut SS. literæ testantur, *Gen. 19.* & huic nefario & atrocissimo crimini, omni jure constitutum est supplicium ignis. *Lev.* 18. *v.* 22. *c.* 20. *v.* 13. *Exod.* 22. *v.* 19. *c. adulterii* 32. *q.* 7. *c. mulier.* 15. *q.* 1. *CC. art.* 116. Et si cum animali bruto immanissimo scelere se quis contaminaverit, etiam Brutum comburi debet, ne superstes horrendi criminis memoriam refricet. *d c. mulier.* 15. *q.* 1.

44. In his itaq; & similibus criminibus lege Dei & naturæ certâ ac congruente pœnâ prohibitis, Gratia Principum, in tantùm illicita est, ut nullatenùs remissionem supplicii delinquenti indulgere possit; Eaque concessa non clementiam, sed tyrannidem denotat; Quippe cujus vis non tantùm in committendo, sed etiam in omittendo consistit, quoniam non est declinandum à verbo legis, nec in dextram nec in sinistram, *Deut.* 27. *v ult. & c.* 5. *v.* 32. *Paul. ad Galat.* 3. *v.* 10. Quoniam autem delicta omnia ex proposito ac animo delinquentis æstimantur, ubi enim dolus delicto non dat causam, formaliter delinquentem commisisse factũ prohibitum vix erit dicendum, cum voluntas maledicta distinguat. l. 14. ff. *ad L. Cornel. de Sicar.* l. 37. 53. ff. *de furt.* §. 5. *Inst. de usuc.* & haud nocens esse censeatur, quicunque non sponte est nocens. Itaque multæ dantur circumstantiæ quæ criminis pœnam mitigare possunt, si vel ætas, vel alia ratio delinquentis actum illicitũ excuset, quapropter Gratiam pœnæ totalem, vel partialem sperare possunt, qui pleno intellectu ac voluntate destituti committunt. Tales sunt FURIOSI, MENTECAPTI, ac MELANCHOLICI, quoniam nec velle nec nolle cum ratione distinguunt, secundum l. 12. ff. *ad L. Corn. de Sicar. Th.* 17. His accensentur SENES qui

qui propter ætatem decrepitam, virili mente carent, & puerascendo delinquunt. *arg. l.3.§.7 ad SCt. Silan. l.2.ff. de term mot.* IMPUBERES, nisi malitia ætatem impleat. *l.7.C.de pœn. l.23.ff.de furt.* CC. *art.164.* EBRII, qui inopinato & immodico potu obruti, mentis alienationem patiuntur, cum delinquunt, *l.6.§.7. de re milit. c.inebriaverunt.15.q.1.c.14. x.de vit. & hon.cler.* dolus enim & affectus delinquendi ubi non adest, ibi quoq; esse nequit delictum, pœnâ ordinariâ dignum. *l.7.§.4.de Iurisd.l.1.§.3.ff.l.5.C.ad L.Corn. de Sic.l.7.§.4.ff.& §.3.Inst.de L.Aquil.* sæpe etiã excusatur qui justo dolore commotus, aut necessaria defensione impulsus delinquit & tunc vel in totũ, vel pro parte, *arg.l.1.C.unde vi.l.3.de I. & I. §.2. Inst.de L.Aquil.l.26.23.24.38. §.8.ff.l.4.C.ad L.Iul.de adult.* His tamen eũ adnumerare qui calore iracundiæ deliquit, nefas erit, *arg.l.5. C. de injur.* CC.*art.137.* cùm aliàs omnia delicta manerent impunita, contra *l.51.ff.ad L.Aquil.* Regula itaque ex *l.18. de R.I. l.2. C.de Abol. c.si quis iratus. 2.q.3.* deducta, tunc demùm universalis erit, cùm actus delinquentis sine tertii præjudicio retractari possit, nec ejus læsionem importet.

45. Quamvis autem delictum naturâ turpe, ac lege divinâ prohibitum sit, *arg.l.42.ff.de V.S. Exod.22.v.4.* si tamen exinde non determinata sit pœna capitalis, sed jure civili demum, tùm in aliorum terrorem, tum in legum majorem observantiam, ac Principum reverentiam, facta fuerit summa: Tunc certè pro ratione status ac conditionis, liberior est Magistratus authoritas in concedendâ gratiâ. Quamvis enim per se talia crimina sint punibilia, attamen cum pœna certa nec à naturâ, nec à Deo sit designata, is qui legem fecit capitalem, eandem pro ratione civili ad minimum poterit mitigare, si nõ planè tollere: Politicus enim Magistratus, quas leges cum ratione condidit, easdem rursus potest tollere, mitigare, & pœnam inde promanantem, si causa subsit, gratiosè remittere: Quoniam legibus civilibus est superior, ideoque eas moderari facile potest si tertio non inferat injuriam *arg.l.2 §.4.de O.I.l.100.102. de R.I.§.6. Inst. de Iur. N.G & C.l.ult.C.de LL. l.8. de præt.stipul. l. fin. de fer. & dilat. l.2. §.10.16. ff. ne quid in loc. publ.* Itaque generaliter ejus consensus in mitigatione vel remissione pœnæ adhiberi debet, qui damnum, injuriamve passus est,

wollen in die Acht kommen. & tunc clemens esse potest Princeps, nisi fuerit in alieno dolore facilis. *Sen.l.1. de clem.20.* Inter hæc autem delicta refertur FURTUM, quod nec jure Divino *Exod.22. v.4* nec Jure Justinianeo est supplicio capitis prohibitum, *§. 5. Instit. de Obl. quæ ex del. nasc. l.50. ff. de furt. Nov.134. c.ult. Nov Leon.105.* sed postea demum CC *art 159.* Quamvis enim hoc delictum naturâ turpe sit. *l.1. §.3. ff. de furt. §.1. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc.* tamen naturâ non meretur pœnam capitalem, sed tantum lege civili, quæ grassantibus delictis sæpe debet exasperari ab Imperante. *l.1. ff. de Iur. Patron. l.4. C. de serv. fugit. l.28. §.5. ff. de pœn.* Ergo eadem potest mitigari vel remitti, unde *Senec. de Clem. lib.1. c.20.* *pœnam si tutò poterit donet, sin minùs temperet.* Eò refertur VENATIO quæ lege civili est prohibita, Et rectè furto cõparatur quia furtivè feræ surripiuntur, devastantur, ac subducuntur. Postquam enim Principes jure superioritatis Jus Venandi ex legitimis causis, singulis ademerunt atque inter regalia retulerunt: Ut 1. serventur species animantium. 2. Loca publica quæ ad Principes pertinent qualia sunt nemora & saltus *l. 2. 3. ff ne quid in loco publ. junct. l. divus. ff. de serv. rust. præd.* ipsis maneant tuta: Ne 3. Subditi avocentur ab agricultura & laboribus. *arg. auth. agricultores. C. quæ res pign.* & 4. ne armorum usu qui aliâs ipsis prohibitus est *2.F.27. & t.t. C. ut armorum usus,* in peregrinantium, aliorumvè periculum abutentur. Nec prohibitio hæc contrariatur Juri Divino aut naturali, nisi quis insano Anababtistarum errore, communionem bonorum, nobis obtrudere velit: quæ enim Deus & Natura permissivè hominibus subjecit, ea non necessitativè singulorum esse voluit, sed cum ratione demum & utilitate politicâ, à Magistratu temperanda; Itaque hæc pœna etiam ad mortem sæpè potest extendi. Quæ etenim inter sanguinem hominis & rem ablatam est disparitas, eadem proportionem recipit ex authoritate Principis, cujus mandati contemtus, mortalis est, *Deut.17. v.17.* & malitiâ delinquentis, quæ sæpè pœnam exasperat. *l.16. §. ult. ff. de pœn. l.3. §.2. de abig. c.1. ext. de pœn.* Hæc itaque & similia delicta, quæ ratione demum civili mortem inferunt, remissionem ac Gratiam sæpissimè obtinere possunt, & debent.

47. Sequitur CAUSA FORMALIS in hâc materiâ consideranda, quoniam verò non unum, sed diversum Gratiæ constitui ob-

tui objectum, diversa etiam erit pro materiæ qualitate forma; Materia enim ex quâ, tunc demum materiatum constituit, quando forma accedit, quæ illam informet, *l.18.§ 3. ff. de pignor. act.* §.25. *Inst. de R.D. l.7.§.12. ff. de pact.* Forma autem gratiæ est ipsa actualis remissio alicujus juris, seu ipsa actio remittentis & beneplacitum acceptantis. *l. 55. ff. de O. & A. l 10 ff. de donat.* Quoniam autem primum disputationis objectum, versatur circa Jus in caussis civilibus cedendum, non quidem omnes alienãdi modos propositi ratio permittit excutiendos, sed eum demum, quem gratia jus suum transferentis comitatur, quâ vel acquisita obligatio remittitur sponte, vel jus suum in alium liberaliter transfertur, atque adeo in effectu nihil aliud est quàm donatio. *l.1. ff de transact.* cùm donatio sit, juris liquidi benevola remissio. *l.12. ff. de novat. l.4. C.eod l.7.19. §.1. de donat. l.11. de R. I.* itaque præprimis renunciationis tenor ac forma est attendenda, quæ omninò ex renunciantis ac remittentis intentione erit dijudicanda *l.65. §.1. de R V. l.77.§.20. de leg.2. l.126. §.2. de V. O.* Talis itaque juris sui remissio quia Jus transfert & ab obligatione liberat, sequitur quod semper lucri speciem contineat *l.11. ff. de accept. l.66. ff. de solut.* atq; adeo ex propensâ concedentis mente profluat, ac consensu alienandi; Ideoque tam tacitè quàm expressè fieri potest; Tam inter vivos, quàm ultimâ voluntate vid. *θ.3.* sup. Inter vivos variè fit juris sui concessio; TRADITIONE quæ vera est dominii translatio. *l.20. C. de pact. l.28. de V.O.* eâque propriâ vel impropriâ, brevis vel longæ manus. *l.6. ff de donat.* §.40. *& seqq. Inst. de R.D. l.43. §.1. de A.R.D. l.79. de solut. l.43.§.1. de I. D. l.3. §.12 de donat. intr. vir. & uxor.* CONTRACTU STIPULATIONIS *l.35.§.4. C. l.2. §.3. 4. ff. de donat.* PACTO *l.6. l.35 C. de donat.* POLLICITATIONE *l.1. & t.t. ff. de pollicit. l.15. C. de SS. Eccles.* ACCEPTILATIONE *l.1. ff. de accept. l.17. ff de donat.* eâq; vel simplici, quæ verborum obligationes tollit. §.1. *Inst. quib. m. toll. obl.* vel accedente novatione per stipulationem Aquilianam, quâ

l.3. §.1. l.16. *ff. de Codicil. l. 4. Cod. eod.* aut donatione mortis causa. §.1. *Inst. de donat. l.1. l.35. §.2. l.25. pr. ff. de donat. mort. caus.* Et tunc vel *Expressè* potest fieri, de quo vix esse potest dubium, si specialiter voluntas concedentis exprimatur, *c. si Episcopus. ext. de preb.* expressi enim major vis est quàm taciti, *l.52. de cond. & dem. l.195. de R.I. l.99. de V.O. l. ult. C. de Novat.* vel *Tacitè* per factum nempè contrarium, tacitum enim cum expresso idem tunc censetur esse Judicium, *l.3. ff. si cert. pet. l.4. de pact. l. ult. C. qui bon. ced. poss.* E. G. si creditor debitori obligationis instrumétum restituerit. *l.2. de pact. l 3. §.1. de lib. leg. l.7. C. de remiss. pign. l.59. de leg.3.* quod tamen per restitutioné obligati pignoris non statim concluditur, quia sublato accessorio non continuò tollitur principale, ut contra. *l.33. de cond. & dem. l.9. de impen. in res dot.* vel si obligationis Instrumentum sit cancellatum. *l.24. ff. de probat.*

47. Reliqua duo objecta, quoniam à parte concedentis superioritatem Majestaticam præsupponunt, alio modo ac ratione formantur: A parte itaque Impetrantis gratiam, debitâ humilitate ac observantiâ fieri debet, & secundum consuetudinem ac stylum curiæ qui perfectiùs in ipsis rerum argumentis quotidiè apparet, *arg. §. pen. Inst. de satisd. c.6. ext. de crim. fals.* deinceps etiam requiritur, ut non tantum causas moventes gratiam Principis recenseat, sed etiam illud quod exorare satagit, candidè ac sincerè proponat, quoniam ex falsis narratis concessa gratia, non sortitur in Jure ac Judiciis effectum, *l.2. C. de his qui ven. æt. imp.* itaque communiter fieri solet ac debet per libellum supplicem. *l. ult. C de prec. Imp. offer.* ex quo Princeps circumstantias delicti ac delinquentis, plane ac plenè percipere possit, atque eò faciliùs voluntatem suam ad gratiam inclinare, ac clementiam adhibere, si delicti ratio & delinquentis qualitas eam permittat. *argum. l 31. ff. de pœn, l.5. §.7. de re mil. l.1. §.2. ff. de const. Princ.* A parte verò impertientis gratiam, eadem fieri solet per rescriptum Principis, quod olim Encausto subnotari Imperatoribus solis conveniebat *l.6. C. de divers. rescript.* hodiè autem cujusvis Magistratus insigniis ac subscriptionibus confirmatur. Quod reo summoperè expedit ut per scripturam eò faciliùs impetratam gratiam probare possit. *c. 17 ext de Simon.* Nec obreptionis periculo, præsertim si concedens proprio motu ducatur, facile subjacet. *l. pen. C. de Off. Rect Prov.* Ne

tamen

tamen contra jus, utilitatem publicam, aut proximi bonum concedatur beneficium; Principes hac potestate utentes hanc clausulam suis rescriptis addere solent: Si Preces veritate nitantur, nec alium lædant & petenti prosint. *c.2.x.de Rescript.* Nov. 143 *in fin.* l.7.C.*de Prec.Imp.off.*l.3.4.5.C*si cont.Ius vel util. publ.* interdum tamen etiam tacitè talis remissio fieri potest si Princeps delinquentem, officio dignitate fulgenti decoraverit, *arg.*l.23 §.4.C.*de nupt.*l.57.*ff. d. re jud.* Quapropter omnes illos remittendi modos excludo, quos in *th.39.* recensui, quo etiam refertur, Si fortè Carnifex non ritè suo fungatur officio, ut si primo ictu non statim interimat reum, vel hic rupto fune ex patibulo vivus decidat, tunc enim prudens Magistratus præcavere debet, ne damnum ex seditione populi inde sentiat carnifex. CC.*art.96. 97.* & quia dolo ac fallaciis diaboli & sceleratorum hominum tale quid accidere possit, nulla vetat ratio, quin de novo executio sententiæ instituatur, si atrox sit delictum. CC. *art.* 192. malitiis enim non est indulgendum. *l.*38.*de R.V.* Multò minùs deferendum est, insanæ alicuius puellæ vociferationi, reum in matrimonium optantis, honesta enim matrona, vix insidiatorem humanæ societatis in matrimonium duxerit *arg.*l.*un* §.2.*de rapt.virg.* l.20. *C. de Nupt.* ita etiam transactio cum offensâ parte factâ non operatur veniam pœnæ, quia per atrocia delicta, non tantùm læsus offenditur, sed etiam Respb. ideoque iniquum foret ac nullâ lege & ratione probabile, ut privatorum transactione reus pœnam Judicis effugiat. *arg.* l.5.§.1.ff. *de pact. dotal.* quamvis transactio facta hoc operetur, ut transigens suum interesse ac ulteriorem executionem amittat, *l.* 18 C.*de transact.*l.13. C. *de furt.* & quamvis in adulterio transactio d.l.18. fuerit prohibita, tamen posteriori constitutione quodammodo permissa. *Nov.*134.*c.*10.*Auth.sed hodiè.*C.*de Adult.* Magistratui tamen hâc ratione nullatenùs ad exequendam pœnam via præcluditur, ne delicta in Reipb. malú maneãt impunita. *l.* 3.l.13 ff.*de off.præs.*l.51.*ad L.Aquil.*l.3.C.*de Episc.aud.*l.9.§.2.*de publ. & vectig.*l.28.§.

duplex eſt *Cui* & *Cuius*: *Ille* eſt ſimul ſubjectum cui aliquid expetitur & actio applicatur, talis in meo propoſito perſona illa eſt, quæ gratiâ indiget, ut ei ſubveniatur, de qua in *th.* 19. *Hic* autem eſt intentio propter quam aliquid expetitur aut conceditur; Qui iterum duplex eſt *Internus* & *Externus*: *Ille* eſt qui ab eo attingi poteſt & ſimul attingitur qui eum expetit, talis hic eſt beneficii exhibitio, quæ facilè obtineri poteſt, ideo enim aliquis indigenti benefacit, ut eius utilitati ſuccurrat, ac neceſſitatem ſublevet, liberalitatemq; exerceat. *l.* 8. C. *de O. & A.* l. 19. 24 *C. de donat.* l. 1. C. *de rev. don.* l. 5. ff. *de donat* quod quivis obtinere poteſt, maximumque beneficii genus eſt Jus ſuum remittere, & quod exigendum gratioſè relaxare. 2. F. 23. 27. l. 32. §. 23. ff *de donat. inter vir. & ux. l.* 37 §. 12. *de injur. l.* 25. 34. C. *de Tranſact.* Omnis itaque Gratia, hoc fine conceditur, ut beneficium conferatur, quoniam beneficii collatio donationem continet. *c. fin. de off. Vicar. in 6.* l. 26. *de teſtam. mil.* l. 1. ff. *ſi vent. nom.* l. *ult.* C. *de ſtat.* l. 58. C. *de decur.* *Hic* eſt qui ab eo qui eum expetit non ſemper attingitur, quamvis ſemper intendatur, talis eſt 1. Obligatio ad antidora ut nempè mutuo favore ac benevolentiâ, eum nobis obſtringamus, cui benefacimus, eumq; ad officium remunerandi vel nobis, vel Reipb. magis utilem faciamus. Siquidem natura eum impellit ad benefaciendum, qui beneficium accepit. l. 25. §. 11. *de pet. hered.* iniquus enim eſt in ſocietatem qui beneficium ſcit ſumere, verum reddere neſcit, quiſq; enim obligatus manet ut eius intentioni ſatisfaciat, cuius gratiam accepit, quamvis non vi legis civilis, tamen vi honeſtatis. *c. illud.* 8. *q.* 2. l. 8. C. *de O. & A.* ſummum itaque nefas eſt ac turpitudinis plenũ, fruſtrari eum qui nobis benefecit. 2. ut Gratiam Principis impetranti ad virtutem calcar addatur. CC. *art.* 158. ſaluſq; privatorum, ac publica utilitas promoveatur, qnam princeps ſemper promovere tenetur. *Nov.* 1. *in Epil. Nov.* 8. *in præf.* l. 23. C. *de Nupt.*

49. Tandem EFFECTUS conceſſæ Gratiæ venit ponderandus qui tametſi ſecundùm formæ qualitatem, diverſam conſtituit operationem, nihilominus tamen generaliter in hoc conſiſtit, quòd ſi Gratia legitimè fuerit accepta, jus transferentis tollat, aut ſuſpendat & continuò duplicem producat Effectum; *Primùm*, qui conſiſtit in obligatione; & *Ortum* qui conſiſtit in actione vel exceptione. Nam qui ſemel jus ſuum remittit, eidemq;

renun-

renunciat, temerè voluntatem suam revocare prohibetur. *l.14.§.9.de Ædil. Edict.* l.1.§.6 *de Success. Edict. c. quam pericul.7 q.1.* nuda enim voluntatis mutatio factam renunciationem in tertii incommodū, nullatenus revocat, l.98.§.8. *de solut.* junct. l. *pen. C. de pact.* l.11. *de R. J.* l. *fin. C. de donat.* l. *fin. C. de condict. infert.* l.46. ff. *de pact.* quia non videtur injuriam pati qui semel voluit. l. 9. §.1. *de aqv. & aqv. pluv. arc.* & qui renunciat suo juri, continuò censetur se obligare ad non petendum, quare agenti semper obstabit exceptio pacti. l.1. *C. de pact. convent.* l.40. *de R. C.* l.27. *C. locat.* quoniam renunciatum esse juri suo, & jus aliquod non competere, in effectu sunt paria. l.1 *C. quand. non pet. part.* l.3. *in fin.* l.4. *de bon. poss.* nemo enim præsumitur actum inanem condere voluisse. l 81. *de V. O.* qui itaque sponte jus suum remittit, arctiùs obligatur quàm si condemnatus sit sententiâ, quia illa redditur in invitum. l.83. §. 1. *de V. O.* quapropter sponte renuncianti, & consensum liberum interponenti, semper obstabit exceptio doli generalis. l.12. *de dol. mal. & met. except.* l.7. §.17. *de pact.* l.14.§ 9. ff. *de Ædil. Edict.* Ut autem secundum objecti ac formæ diversitatem, diversus etiam demonstretur Effectus, ita distinctè etiam agendum est. Secundùm primum itaq; Objectum, si Gratia concessa fuerit TRADITIONE, vel transfertur dominium, si res propria sit concessa. l.9.§.3 ff. *de A. R. D.* §. 41. *inst. de R. D.* l.6.13.25. ff. *de donat.* l.20. *C. de pact.* vel usucapiendi conditio, si res sit aliena. l.18.§.2. ff *de donat. junct. d.* l.20. l.1. *& t.t.* ff. *pro donat.* Si STIPULATIONE, tunc concedens obligatur, ad dandum, faciendum, vel præstandum aliquid. *pr. Inst. de V. O.* l 3 ff *de O. & A* §.2. *Inst.* l.35.§.5. *C. de don.* acquirenti autem datur executio obligationis. l. 66. l. 85. ff. *de V. O.* quæ fit vel per condictioné certi, *pr. Inst. de V. O* junct. *l.* 74. vel actione ex stipulatu. *d. pr. Inst. l.* 68.75. ff. *d. t.* l.24. ff. *de R. C.* Si PACTO, etiam tunc producit actionem, quamvis enim de Jure civili pactum nudum non producat actionem sed tantum exceptionem. l.10. *C. de pact.* l.7.§.3. ff. *eod.* l.27. ff. *locat.* tamen donatio pacto inita, non amplius in terminis nudi pacti subsistit, sed lege

tum, haud difficulter tamen deducitur ex *arg. c. 1. 3. fin. x. de pact. c. iuramenti. 22. q. 5. c. fin. dist. 9. c. dilecti x. de Iudic.* Si POLLICITATIONE, & justa causa subsit, etiam tunc datur actio, quia & hæc donationē sapit. l. 3. §. 1. l. 9. l. 14. ff. *de Pollicit.* l. 19. *pr.* ff. *de don.* SI ACCEPTILATIONE & tunc omnis per eā tollitur obligatio & actio, sequiturq; valida liberatio. l. 4. C. *de Transact.* l. 5. l. 13. §. 4. 5. l. 16. ff. *de accept.* omnique casu agenti illi qui gratiam concessit, obstabit Exceptio doli mali. l. 2. §. 3. 4. l. 25. ff. *de donat.* quæ ideo generalis est. l. 4. § 33. ff. *de dol. mal. & met. except.* & peremtoria. l. 5. §. *fin.* ff. *d. t.* l. 3. *pr.* ff. §. 9. *Inst. de Except.* l. 5. C. *de pact.* dolo enim facit qui id petit, à quo qualibet exceptione excludi potest. l. 2. §. 5. l. 12. ff. *de dol. mal. & met. except.* Si relictâ HEREDITATE, ipso iure heres dominus fit rerum hereditariarum. l. 50. §. 1. *de R. V.* l. 14. C. *de Iur. delib.* ipsaq; hereditatis acquisitio, heredi omne commodum testatoris affert. l. 24. 119. *de V. S.* l. 8. ff. *de Acquir. her.* l. 1. 2. 3. *de bon. poss.* Si LEGATO, tunc rei legatæ dominium à morte testatoris, recta transit in legatarium. l. 80. *de leg.* 2. l. 64. *in fin.* ff. *de furt.* pro consequendâ tamen possessione rei legatæ, legatario competit actio personalis tanquam ex quasi contractu, qui ex aditione hereditatis oritur. §. 5. *Inst. de Obl. quæ q. ex cont.* §. 2. *Inst. de leg.* l. 1. C. *comm. de leg.* vel realis, nempe Rei Vindicatio ex dominio, *d.* §. 2. l. 80. *de leg.* 2. l. 1 *de publ. in rem. act.* l. 2. C. *comm. de leg.* vel Hypothecaria in bonis defuncti, *d.* §. 2. *& d.* l. 2. Ex his legatarius unā eligere debet. *l.* 76. §. 8. *de leg.* 2. SI MORTIS CAUSA DONATIONE tūc insecutâ morte, rata manet donatio, & donatario acquiritur res donata. l. 29. 32. ff. *de mort. caus. donat.* l. 1. 2. *de publ. in rect. act.* l. *fin.* C. *de mort. caus. donat.* quoniam ratione effectus donationes mortis causa, per omnia ad exemplum legatorum redactæ sunt. §. 1. *Inst. de donat.*

50. Ultimò paucis agendum est, de Effectu posteriorum obiectorum, qui si generaliter consideretur, erit relaxatio legum, extra gratiam Principis, in vigore obligandi remanentium. §. 6. *I. de I. N. G. & C.* Specialiter tamen iterum variat pro Obiecti ac formæ diversitate: Nam in causis matrimonialibus, nuptias de iure illicitas ac iniustas, in quibus operante lege, nec uxor, nec vir nec matrimonium, nec dos intelligitur. §. *pen. Inst. de Nupt.* l. 3. ff. *de I D.* l. 4. *& auth. incestus.* C. *de incest. nupt.* si Princeps cognitis circumstantiis eas legitimet ac licitas pronunciet, tunc omnis macula turpi-

turpitudinis tollitur, eæq; matrimonii legitimi vim consequuntur *arg.*l.1.C *si.nupt. ex rescript. pet.* Et quamvis gratiosa Principis concessio, latè sit interpretanda.*l.ult.*C.*de Præp.ag.in reb.* l. 34. ff. *de donat.*l.3 *de const. Princ.*non tamen in diversis casibus & subiectis, à minori ad maius, valet argumentatio, *arg.c.fin.x.de transl.Episc.* vel à simili ad simile, quippe quod claudicaret.*arg.*l.83.§.5. *de V. O.* quoniam gratia Principis in speciali subiecto, separatum aliquid à Jure communi operatur. l.*fin.*C.*de inoff.test.c.3.x.de privil.*l.9.ff.*de Carbon.Edict.*quæ autem à Jure communi exorbitant, nequaquā sunt trahenda in consequentiam.*c.quæ à jure de R.I. in 6.* Privilegia legitimè impetrata & concessa, etiam hoc generaliter efficiunt, ut semel concessa non possint ampliùs temerè revocari. l. 5.ff.*de decret.ab ord.fac.c.indultum.de R.I.in 6.*& si Realia fuerint, perpetuò manent, & ad heredes transmittuntur. *l.* 68. 196. *de* R. J. *l.*4. §.3. *de censib.* l. 15. *Cod. de Excus.mun.* Si Personalia, temporalia sunt nec ad herdes transmittuntur, l. 12. C. *de prox.sacr.scrin.d.l.* 68.l,196.*de* R.I.l.13.*sol.matr.*l.28. *de leg.2.* nisi specialiter iisdem indulgeantur.l.5.C.*de silent.Effectus in pœnarum remißione*, hic est; Ut reus vel in totum, vel pro parte, à delicti pœnâ liberetur. l. 8. §.*fin.* C.*d.vi publ.*l.3.C.*ne sanct.bapt.iter.l.2.*C.*de sent.pass.*l. 3.C. *de gener. abol.* nā remissio pœnæ ex remittentis volūtate æstimāda est.*arg.c.* 24.*x.de privil.*Si itaque generaliter pœna reo remittatur, non statim restituitur honori, famæ, iuribus, ac dignitati. l.*fin.* C. *de gen. abol.* l. 22.§.4.*ad Munic.*l.4.l.7.8. C. *de sent. pass.* Si vero specialiter reus in omnia pristina jura restitutus fuerit, tunc omne illud recipit, quod sententiâ amisit.l.2.4.7.9.13.§.*ult.*C.*d.t.l.2.* ff *eod.* vel si quædam exprimantur specialiter, cum generali clausulâ: ET OMNIBUS COETERIS: Vel si restitutio fiat in integrum; Talis remissio omnia pristina restituit. *l.* 1.C. *d.t.* Concessâ itaq; pœnæ Gratiâ, reus super eodem crimine accusari ac puniri nequit, l.1.§.10.ff.*de postul.*l.1.C.*de sent.pass.* Neq; remissum crimen, quisquam restituto libidine calumniandi obiicere potest, quin huic

Redeckere tuo themati vel gratia servit;
Virginis an Procerum; dic mihi quæ placeat.
Hanc virtutè paras, sed pulcris moribus istam
Justitiam iungas, undiq; gratus eris.

Sic applaudit

Johannes Sebastianus Gambs
U.J.D. & *Inst. Imp. Prof.*

B, L. potissimùm emendet.

θ.2.lin.pen.pro 10.*leg.* C.*θ.3.lin.17.p.4.l.5.θ.4.lin.6.l. hac. θ. 6. lin. 24.leg.35.θ.11.lin.13.l.ullus θ.14.lin.58.l.iurat.& lin.63.leg.1. 2. θ.19.lin. 11.l.8.θ.27.lin.11.l.35.θ.27.lin.15.l.§ 3.& lin.36.l.36. θ,30.lin. 10.l.4.5.* C *θ.34.lin.21.l.40.θ.35 lin.pen.l.8.θ.45.lin.antep. l.48.*